



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>




74.T.61.(2.)

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K. K. HOFBIBLIOTHEK  
OSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

74.T.61.(2)





74. J. 61(2.)

Digitized by Google

DANTIS PETRARCHAE  
AC BOCCACCII  
VITA  
AB IANNOTIO MANETTO  
SCRIPTA.



SPECIMEN HISTORIAE LITTERARIAE  
FLORENTINAE  
SAECVLI DECIMITERTII, AC DECIMIQVARTI  
SIVE  
VITAE DANTIS, PETRARCHAE,  
A.C.  
BOCCACCII  
ACELIANNOTIO MANETTO  
SAECVLO XV SCRIPTAE

Litterarumque tam Graecarum, quam Latinarum iam tum  
resurgentium incunabula exhibentes, quarum duae  
nunc primum in lucem prodeunt.

RECENSENTE

LAURENTIO MEHVS

ETRUSCAE ACADEMIAE CORTONENSIS SOCIO

Qui Dantis, ac Boccaccii Vitam a Siccone Polentono scriptam  
edidit, ac nonnulla Excerpta ex Io: Marii Philippi MS. Li-  
bello ad Dantis Studia, Scripta, Legationes, Genusque  
spectantia nunc primum in lucem protulit.

---

FLORENTIAE MDCCXLVII.  
APVD IOANNEM PAVLVM GIOVANNELLI.  
PRAESIDVM PERMISSV.

---

SVMPTIBVS EDITORIS.  
Prostant apud Iosephum Rigaccium Bibl. Florentinum.



ILLVSTRISSIMO, ATQVE EXCELLENTISSIMO D.  
**MARCO FVSCARENO**  
EQVITI, AC DIVI MARCI PROCVRATORI

ec. ec. ec.

LAVRENTIVS MEHVS D. D. C.



Istoriae Litterarioriae cognitione liberalium studiorum, scientiarumque peritia, perspectusque Tuis in veterum praesertim monumentorum codices amor me impul\*

\* 3

le,

lerunt, ILLUSTRISSIME, ATQVE EXCEL-  
 LENTISSIME MARCE FVSCARENE, ut hoc  
 IANNOTII MANETTI Καρῆλιον, in quo  
 Dantis, Petrarcae, ac Boccaccii  
 Vitae describuntur, vunc primum  
 magna ex parte in lucem erutum  
 nomini Tvo inscriberem. Quanto  
 in humaniores, severioresque Mu-  
 fas, quarum sacra fers, amore per-  
 culsus sis, testis est magna illa se-  
 lectissimorum librorum supellex, cui  
 summis sumptibus, summaque indu-  
 stria Domi Tuæ a TE collectæ,  
 Regioque paene luxu dedicatae no-  
 ñu, diuque sedulo incubas. Si quis  
 autem ex me quaerat, quanti apud  
 TE sive veterum monumentorum  
 Λέπτων, descendet in medium Bi-  
 bliotheca illa celeberrima Bessario-  
 nis Cardinalis Nicaeni, quæ ab e-  
 ruditissimo illo Purpuratorum Pa-  
 trum lumine ornatissimæ Reipubli-  
 cae Tuæ credita, ab eadem curac  
 Tuæ

Tuae, sedulitatisque sapientissime  
comissa est. Cui vero ignotum sic  
Historiae Litterariae cognitionem  
delicias Tuas esse? Vel quis adeo  
hospes in Litteris versatur, ad cujus  
aures fama non pervenerit Historiae  
illius Litterariae Venetae, in qua  
confienda decem, & amplius annis  
aetatem Tuam conteris? Scilicet hoc  
unum deesse videbatur amplissimae  
Venetorum Litteris florentium glo-  
riae, ut Vir non tam generis nobi-  
litate, quam publicotum munera  
splendore, eruditionisque laude flo-  
rentissimus eorum vitas, scriptaque  
plenius enarraret, Litterarumque  
Venetarum incunabula, atque incre-  
menta ad seros usque nepotes trans-  
mitteret. Quamobrem dicam libe-  
re, quod sentio. Tu primus omnium,  
AMPLISSIME FVSCARENE, faisti, qui  
Litterariam Venetorum Historiam  
doctis, laboriosisque chartis explicau-  
re

re ausus es, ut maxima Tva in Venetiam Rempublicam merita hoc beneficio sempiterno augeres, immortalique Venetorum Tuorum amplitudini hunc etiam cumulum adiices. Hinc mirum non est, si Eminentissimus CARDINALIS QVIRINVS (at bone Devs! qualis, quantusque Vir!) grande profecto, & immortale aeternae Vrbis Vestrae decus, & ornamentum Excerpta Venetae Litteraturae ad Franciscum Barbarum spectantia TIBI nuncupaverit, Tibique veluti in partem laborum suorum vocato legenda miserit. Venustum est enim Litterariam Venetorum Historiam capaci mente comprehendere: Tuumque erit eamdem posterorum memoriae commendasse, nec ullus ex hac Tva laude decerpere quicquam poterit.

Quod si MAIORES Tvos abavos, atavosque ab ultima usque repetens

ori-

origine mecum ipse revollo, fumosae FVSCARENORVM HEROVM ante oculos mille obversantur imagines, quorum egregia facta Veneti Nominiſ maiestate circumtulerunt. Quaenam enim Clarissimi LVDOVICI FVSCARENI memoriam delebit oblio-  
vio? Cuius Domus dulcissimum Muſarum domicilium semper fuit, qui-  
que & ad publicas curas, & ad hu-  
maniora haec studia semper divisus  
magnum & Rei Publicae, & Litte-  
rariae incrementum attulit. At quid  
LVDOVICI, aliorumque MAIORVM  
TVORVM laudes, gestaque comme-  
morem? Quum TV, EXCELLENTISSI-  
ME FVSCARENE, avitam in publicis  
muneribus suscipiendis sapientiam,  
maximum rerum usum in exercendis,  
in deponendis eximiam animi mode-  
rationem, aequam rebus in arduis  
mentem, temperatamque ab insolenti  
laetitia in bonis semper praetuleris?

Quid

**Quid vero praetuleris? Immo & longo superes intervallo, & virtutum  
TVM gloria, ac laude deters.  
TIBI itaque, SAPIENTISSIME FVSCARE-  
NE, hunc novum libellum dono, in  
quo molestias gravissimorum mune-  
rum, quibus cohonestatus es, ali-  
quantulum deponas: TIBI inquam,  
ut eruditissimo iudicio Tvo vel ster,  
vel cadat. Dabam Florentiae Kal.  
ianuariis MDCCXLVII.**



CAN-



# CANDIDO LECTORI

LAVRENTIVS MEHVS

S. P. D.



Nter totos praeclaros, ac praestantissimos studiorum suorum fructus, quibus Iannotius Manettus nostras non tam multiplicium Linguarum cognitione, quam Scientiarum omnium abundantia clarissimus Rempublicam Litterariam saeculo decimoquinto locupletavit, maximi facienda est Dantis, Petrarchae, ac Boecii vita ab eodem Latinis Litteris tradita, in qua non modo illorum trium praestantissimorum Poetarum studia, scriptaque, verum etiam utrarumque Litterarum, sive Grabcarum, sive Latinarum incunabula, atque in-

cre-

crementa posterorum memoriae commendavit.  
Francisci Petrarchae vitam ab Iannoto Manetto scriptam ediderat Philippus Tomasinus Aemoniensis Episcopus in Petrarcha Redivivo, qui plus vice simplici in lucem prodit. Sed Aemoniensis Antistes nonnulla exhibet manca, & mutila, quae elegantissimae vitae laudem aliquantulum deterunt. Specimen quoque vitae Boccaccianaee a Manetto compositae ex MS. codice Bibliothecae Strozianae passim produxerat doctissimus Mannius in libro Italico, cui titulus: Istoria del Decamerone di Giovanni Boccaccio Florentiae anno 1742. edito, nempe Part. I. Cap. VI., aliisque, quae sequuntur. Praeterea Sam. Iebb M.D. Vir Clarissimus eodem, quo diximus, anno in lucem protulit Londini libros duos de Graecis Illustribus Linguae Graecae, Literarumque Humaniorum Instauratoribus, eorum Vitis, Scriptis, & Elogiis, quos e Codd. potissimum MSS., aliisque authenticis eiusdem aevi monimentis deprompsérat Humphredus Hodius S. T. P. haud ita pridem Regius Professor, & Archidiaconus Oxoniensis. Multa sunt, quae huius opusculo in historiae Litterariae commodum adiici possent: plurima vero vel falsa, vel inepta, quae expungenda essent: plura etiam nunc primum ex MSS. in lucem eruta. Inter haec recensenda sunt excerpta quaedam ex vita Ioannis Boccacii nondum edi-

dita, atque a Manetto elucubrata. Nam Cap. I. Libri primi, in quo de Leontio Pilato Thessalonicensi, vel potius Calabro Ioannis Boccaccii in Graecis Litteris Praeceptore loquitur, pag. 10. seq. eius vitae mentionem facit his verbis: Eiusdem Pilati meminit Iannotius Manettus in vita Boccacii nondum edita: Hunc (Petrarcham) Boccatus, ut arbitror, imitatus &c. ac tredecim versus affert, qui pag. 78. seq. buiusce editionis leguntur. Insuper Cap. II. eiusdem Libri, ubi de Emanuele, & Ioanne Chrysoloris edidisset pag. 61. seq. de Emanuele verba faciens: Idem (inquit) Manettus in Boccacii Vita MS. Non multo post Boccacii obitum complures docti homines &c. producitque resurgentium in Etruria Graecarum Litterarum historiam vinti sex versibus circumscriptam, quae pag. 79. nostrae editionis exstat. Animadver-tenda tamen prae ceteris verba illa, quae initio eiusdem Capitis II. pagin. 13. leguntur, ubi Boccaccianae Vitae a Maneto compositae editio promittitur. Iannotius, ait, Manettus ipsius (Chrysolorae) discipulus, idemque Florentinus in vita Boccacii nondum edita, sed a nobis olim in alio quodam opere edenda testatur illum (Chrysoloram) ab ipsa usque Constantinopoli invitatum fuisse a Florentinis &c. Consule pag. 79. buius nostrae editionis, ubi Emanuelens Con-

*Constantinopolis Florentiam magnis variatum  
serum pollicitationibus accersitum fuisse tra-  
ditur. At Ioannis Boccacci Vita, quam  
pollicitur Archidiaconus Oxoniensis, coniun-  
cta est alteri Dantis scilicet, & Petrarchae,  
quae quidem tres opusculum quoddam effi-  
ciunt, cui etiam Iannotius breviter, sed e-  
leganter praefatus est. Quamobrem nonne di-  
scerperetur laniareturque in honesto vulnere  
elegantissimus Manetti labor; si unius Boc-  
cacci Vita, scilicet extrema tantummodo Li-  
belli pars a reliquo opusculo avulsa in lu-  
cem prodiret? Quae quidem quum ego me-  
cum ipse perpendarem, multumque utilita-  
tis ex integro hoc Libello Litteratos homines  
percepturos fore prospicerem, illius editionem  
aggressus sum, quum praesertim haec nostra  
sint, illisque manus iniicere soli iure nostro  
possimus.*

*Fundum buius editionis mibi suppedita-  
vit nitidissimus codex membranaceus Biblio-  
thecae Mediceo-Laurentianae, qui Plut. 63.  
Num. 30. adseratur. Praeter nonnulla,  
quae Lapis Castellianus, ac Franciscus  
Phileolphus ex Graeco in Latinum vertit, a-  
llaque pauca, continet vitam, moresque  
trium Illustrium Poetarum Florentinorum,  
quos quidem publici iuris in praesentiarum fa-  
cimus, sequunturque eiusdem vita Sacratissimi  
Philosophi Illustris, ac Senecae Philosophi  
Cla-*

Clarissimi ad Alphonsum Aragonum Regem missae, quarum duas postremas in Praetura Pisciensis compositas a Manetto fuisse tradit in Manetti vita Naldus Naldius. Hoc vero opusculum ab Iannotio elucubratum esse testatur ipsem MS. codex, qui Manetti nomen ubique prae se fert. Legitur enim initio huius opusculi: Iannotii Manetti Prefatio in vita, & moribus trium Illustrium Poetarum Florentinorum incipit feliciter. Ante vitam Dantis: Iannotii Manetti Vita Dantis Poete Florentini incipit feliciter. Ad calcem: Iannotii Manetti vita Dantis Poetae Florentini feliciter explicit. Ante Petrarchae vitam: Iannotii Manetti vita Francisci Petrarche Poete Florentini incipit feliciter. Paulo post ante vitam Ioannis Boccacci: Iannotii Manetti vita Iohannis Boccacci Poete Florentini incipit feliciter. Ad calcem vero: Iannotii Manetti vita Iohannis Boccaci Poete Florentini feliciter explicit. Haec autem manuscripti Codicis indicia magis magisque confirmat Naldus Naldius in vita eiusdem Manetti, quam Tom. IX. Par. VIII. Thes. Antiquitatum, & Hist. Italiae edidit Petrus Burmannus Senior, recusamque Tom. XX. Script. Rerum Italicarum Ludovicus Muratorius in lucem rursus extulit. Nam in Catalogo operum Manetti, quem eiusdem vitae subiunxit

xit idem Naldius , vitam Dantis , Petrarchae ,  
 ac Boccaccii recensitam legimus . Sed quid  
 verbis opus est ? Auctor eius opusculi praefac-  
 tionem exorsus Longaevorum opus se com-  
 posuisse pag . I . aperte innuit , cuius quidem  
 parens Manettus noster fuit . Quod si tempus in-  
 quiramus , quo Cl . Manettus bunc laborem ag-  
 gressus sit , constat ante Novembrem an . 1459 .  
 confectum iam fuisse , quum elabente Octobre e-  
 iusdem anni Neapoli diem suum obierit , ut  
 praeter alios scribit Anonymus MS . in Cod .  
 Chart . Bibliothecae Palatinæ , qui Italiæ  
 historiam ab anno 1410 . ad 1460 . Italice de-  
 duxit . Huic accedit Bartholomaeus Fontius in  
 Annalibus suorum temporum baetenus in-  
 editis , qui in Cod . Cartb . Bibl . Riccardianæ  
 adservantur . Fontii verba ad annum 1459 .  
 eiusmodi sunt : Ianuarius Manettus Eques  
 Florentinus Latine , Graeceque , & He-  
 braice doctus VI . Kal . Novembris Nea-  
 poli moritur , & in Aede Sancti Spiritus  
 sepelitur , cum vixisset annos tris , & se-  
 xaginta &c . Praeterea constat post annum  
 1436 . bunc Vitarum laborem molitum fui-  
 se Manettum . Siquidem in proemio commemo-  
 rat vitam Dantis , ac Petrarchae a Leonar-  
 do Arretino compositam , quod quidem opuscu-  
 lum anno 1436 . elucubrasse Arretinum nos  
 edocet Cod . Chart . Bibl . Mediceo - Lauren-  
 tianæ Plut . XXXXII . Num . XVII . , quem  
 nos in Catalogo operum eiusdem Leonardi  
 Tem .

**TOM. I. Epist. pag. LXIX. commemoravimus.**  
 Immo quum Manettus pag. 1. buius opusculi  
 scribat, se post laboriosum, ac prolixum Longae-  
 vorum opus has trium illustrium nostrorum Poe-  
 tarum Vitas recreandi animi gratia Latinis  
 litteris mandasse, tempus quo elucubratum  
 fuit, nobis ante oculos sine ulla circuitione ponit.  
 Hae vero tres Poetarum vitas unum tantum opu-  
 sculum, ut diximus, componunt, quamvis Nal-  
 dius unamquamque vitam librum appellans in  
 tres libellos distribuisse videatur. Nam Ian-  
 netii opera ad calcem vitae enumerans ait  
 Col. 807. Edit. Muratorianae. Vita Dan-  
 tis Liber unus: Vita Petrarcae Liber u-  
 nus: Vita Boccaccii Liber unus. At ex his  
 tribus Poetarum vitis unum a Manetto li-  
 bellum conflatum fuisse patet vel ex unico  
 Proemio, quo ad tres illas vitas Iannetius  
 praefatus est. Sed de opusculo haec bactenus.

Ut autem ad proemium descendam, quo  
 Manettus barum Vitarum fasciculum locuple-  
 tavit, id sibi negotii in eo dedit clarissimus Au-  
 tor, ut eos commemoraret, qui eorumdem Poe-  
 tarum vitas tradidere. Quamobrem a Dan-  
 te exorsus nos edocet, eiusdem vitam ab  
 Ioanne Boccacio Viro eruditissimo materno  
 sermone editam, & a Leonardo postea Ar-  
 restino omnium eius temporis eloquentissimo Flo-  
 rentino idiomate conscriptam fuisse, quibus  
 Philippum Villanum adiicit. Boccaccii, ac



Leo.

Leonardi opusculum lucem publicam aspexit: illud vero Philippi Villani nondum prodiit. Miror tamen Sicconem Polentonum alterum vitae Dantis scriptorem Manetto nostro ignotum fuisse. Hic est ille Sicco Polentonus Cancellarius Patavinus, qui saeculo XV floruit, de quo dissertationem quamdam Lipsiae inq. editam elucubravit Io. Erhardus Kappius. Hic itaque Sicco, vel Sico, vel Siccus, ut in MSS. dicitur, in quibus Polentanus etiam quandoque, vel Polontonus pro Polentonus nominatur, opus quoddam in decem, & octo libros distinctum, ac de Scriptoribus Latinae Linguae inscriptum composuit, quod ad Polydorum filium misit, & in Cod. Ambrosianae Mediolanensis MS. adseratur. Ex hoc exscripsit Luâ. Antonius Muratorius vitam Albertini Muffati, quam edit Tom. X. Script. Rer. Ital. in praef. ad eiusdem Muffati Historiam Augustam de gestis Henrici VII. Caesaris. Eiusdem quoque Codex chartaceus, sed mutilus exstat in Biblioteca Riccardiana L. I. N. IIII., qui Petri Criniti, ac deinde Benedicti Varchii fuit: Mutilus est in fine, ut diximus, definitque sub initium Libri VII. in Valerio Maximo. Promium quoque desideratur, incipitque a Libro primo ita inscripto: Siconis Polentoni Scriptorum illustrium Latine Lingue ad Polidorum filium Liber primus incipit &c. Alterum eiusdem operis MS. exemplar testatur

Mu-

Muratorius se vidisse apud heredes Mar-  
cionis Vercellini Mariae Vicecomitis Medio-  
lani. Vitam Dantis inseruit Polentonus libro  
IV. eiusdem operis, cuius quidem quum apogra-  
pbum a Clarissimo Iosepho Antonio Saxio Ce-  
leb. eiusdem Ambrosianae Praefecto exscri-  
ptum ad me transmiserit Excellentissimus,  
atque amplissimus Theodorus Alexander Tri-  
vultius Patriae suae decus, & ornamen-  
tum, heic publici iuris facere operae pre-  
tium duco. Quamobrem Libro IV. post me-  
dium ita de Dante loquitur Sicca. Eadem  
ferme tempora Dantem Allegerium Floren-  
tinum civem, atque Poetam egregium  
habuerunt. Iam quidem, iam paulatim  
quasi e longissimo e somno excitabantur Mu-  
sae. Annos quippe, post quem nominavi  
Iuvenalem mortuum, ad mille dormierant.  
Hoc vero tempore, ut somnolenti solent,  
membra movere, oculos tergere, brachia  
extendere cooperant. Sed in Poeta Dante  
neque minus scientiae, nec plus felicitatis,  
quam in Musato fuit: quippe uterque Poe-  
ta, uterque pulsus patria, uterque in exi-  
lio vita defunctus est. In Dante vero in-  
genium erat, & studium liberale: erat  
competens eruditio, optimus in doctrinis.  
Erat multarum rerum & novarum, & ve-  
terum non iejuna cognitio. Bona autem  
parentum, opesque, ac cetera, quae fortu-

† 2

nae

nae appellantur dona, haudquaquam ob-  
scura. Erant denique in eo multa, eadem-  
que praeclara vitae ornamenta, quibus ha-  
beri magno in honore, carusque civitati  
suæ, ac exteris fama nominis esse com-  
mendatus posset. Linguae modo paululum  
esse liberior, quam suis placeret civibus, vi-  
debatur. Hanc unam ob rem in eam invi-  
diā, atque odium est prolapsus, ut velu-  
ti homo, qui esset factionis adversae, ac  
hostis patriae in exilium pelleretur. Se-  
quidem tunc ad Primates Italiae contulit,  
& apud eos singularem ob virtutem, ac re-  
rum multarum scientiam liberaliter ubique,  
ac multo cum honore exceptus, atque do-  
natus est. Annos vixit quatuor, & LX.  
Ravennæ tandem mortuus, ac sepultus  
est. Annus erat tunc Nativitatis Christi  
MCCCXXI. Scriptae vero ab eo tres ha-  
bentur Comoediae, quibus duce, ac ma-  
gistro Virgilio explicat, quae apud Infe-  
ros, quae in Purgatorio, quae apud Supe-  
ros morientium animae habeant. Haec pa-  
triis quidem verbis: sed quantum id scri-  
bendi genus, & metri ratio patiatur, tan-  
ta sunt gravitate, ingenio, arte dicta, ut pro-  
ferta non a Poeta modo, sed perito etiam  
a Viro, atque Sacris in Litteris perito, &  
magno a perito videantur. Soluta vero di-  
ctione, atque Latine librū unum de Mo-

nar-

narchia scripsit . Dictorum eius memorare unum hoc loco placet . Interrogatus namque Veronae , cur histrioni homini ridiculo , & dicaci Dominantis Aula , ac civitas tota faveret , sibi autem , qui esset vir doctus , atque Poeta , non amicaretur quisquam , respondit id evenire , quod similes sui multos histrio , ipse vero nullum haberet . Salsa quidem responsio , & mordax . Neque vero quidquam est , quod facilius hominem homini , quam motum similitudo coniungat . Haec sunt , quae de *Dante scripsit Polentonius* . At MS. Riccardianus tam vitam *Dantis* , quam aliorum illustrium Scriptorum aliter effert . Incipit enim vita *Dantis* : Accata illa plurimi habitu sunt , qui forte id poscente Caelo non sine lepore , ac gravitate sint lingua patria poetati . Hos vulgares Poetas vocant Thusci praecipue homines hi , ac praesertim Florentini , qui ad id singulari , & innata quadam industria , facundia , ingenio fererentur . Horum praecipuum , ac principem omnium , qui eo in genere sunt versati veluti eius rei studiosi , Dantem Alegerium Florentinum esse . Comediae ab eo scriptae sunt tres , quibus duce , ac magistro Virgilio explicavit , quae apud Inferos , quae in Purgatorio , quaeve apud Superos agerentur . Haec patriis verbis : graviter tamen &c. Desinit autem :

Tandem vero Ravennae diem obiit , ac humatus est anno , posteaquam Christus e Virgine nasceretur , MCCCXXI . Annos ipse non integros quatuor , & sexaginta vixit &c. Vides verborum *discrepantiam* , qua uterque apographus utitur . Quamobrem opus est , ut altera vice Scriptores suos illustres meliori , nitidiorique ordine digesserit Polentonus .

Per ea circiter tempora , quibus trium Illustrium Poetarum vitam scripserat Manettus , florebat Veronae Ioannes Marius Philelphus ab Alexandro Vellutello perperam Marcus appellatus , qui quum multa Dantis opera vidisset , quorum erat litterarum aeternitati nulla memoria commendata , quaque neque Boccaccius , nec Leonardus Arretinus unquam manibus attigissent , de Dantis vita , genere , & moribus Libellum quemdam composuit , atque ad generosum civem Veronensem Petrum Aligerum misit . Philelphi libellus hactenus , quod sciam , ineditus ad servatur MS. in codice nitidissimo membranaceo Bibliothecae Mediceo - Laurentianae Plut. 65. Num. 50. in 4. Praecedit epistola Latina Petri Aligeri Dantis Poetae Pronepotis inscripta Magnificis , clarissimisque Viris Petro de Medicis , & Thomae Sodorino Equiti Florentinis optimatibus , & patriciis , quibus Dantis vitam ab Io. Mario Philelpho scriptam mittit . Initium Epistolae eius-

*iusmodi est: Dudum cupienti mihi Floren-*  
*tiam civitatem illustrem adire &c. ad cuius*  
*calcem legitur: Veronae XIII. Kal. Ianua-*  
*rias MCCCCCLXVIII. Libellus vero, in quo*  
*de Dantis vita agitur, ita inscribitur: Io: Ma-*  
*rrii Philelphi artium, & utriusque Iuris*  
*Doctoris, Equitis Aurati, & Poetae Lau-*  
*reati ad generosum civem Veronensem Pe-*  
*trum Aligerum Dantis, & Successorum vi-*  
*ta, genus, & mores. Incipit proemium: Cum*  
*essem Verona discessurus, Venetiasque pro-*  
*fecturus Petre Aliger vir optime &c. Vi-*  
*ta vero: De Clarissimi Poetae Dantis Flo-*  
*rentini vita, & moribus. Dantes Poeta fuit*  
*apud Florentinos tam vetusta, & nobili ge-*  
*neris antiquitate, ut nonnullis audeat in lo-*  
*cis &c. Multa sunt ad Dantis studia, scripta,*  
*publica munera, genusque spectantia, de qui-*  
*bis edisserit Philelphus Quamobrem eruditio-*  
*rum commodo inserviens nonnulla excerptam,*  
*quae aliquid utilitatis historiae Litterariae*  
*allatura sint. Itaque de Brunetto Latino*  
*Dantis Praeceptore haec habet Philelphus:*  
*Accedebat ad haec Brunetus Latinus vir*  
*doctissimus, quantum ea tempestate alter*  
*inveniretur nemo, qui & hortari Dantem,*  
*& monere, ut omnem operam bonis litteris*  
*adhiberet, non desistebat &c. Notanda ve-*  
*ro sunt, quae de Dantis imperitia in Grae-*  
*cis Litteris narrat. Orthographiam, inquit,*

tenebat ad unguem, quantum poterat sine  
 Litterarum Graecarum cognitione confi-  
 cre &c. *Quamobrem Graecas litteras ignorabat*  
*Dantes, quod etiam tradit Manettus pag. 86.*  
*buiuscē editionis, ubi Dantem Litterarum*  
*Graecarum cognitione omnino caruisse testatur.*  
*De Dantis autem studiis haec tradit Philo-*  
*lephus. Cremonae primum Philosophiae*  
*studuit naturali, ac rationali. Moralem*  
*enim audiverat a Latino praceptorē, Al-*  
*bertumque, ac Divum Thomam familia-*  
*rissimos reddiderat sibi. Deinde Neapoli-*  
*tamdiu vacavit Logicae, ut mirabilem &*  
*a Iohanne Comite, qui docebat Cremo-*  
*nae, & a Paulo Archino, qui docebat*  
*Neapoli, utroque Philosopho acutissimo, &*  
*doctissimo laudem reportavit. Hunc dein-*  
*ceps Parisius Galliae transalpinæ tenuit*  
*aliquamdiu civitas, ubi florentissimum sem-*  
*per fuit Philosophorum Studium, habe-*  
*turque in primis in pretio non mediocri*  
*Dialectica. Ea in civitate disputavit saepe-*  
*numero, tutatusque fait conclusiones aper-*  
*tissimas, & difficillimas dubitationes opti-*  
*mis argumentationibus oppugnavit. Mi-*  
*rabantur ii Galli, qui solent nostros esse exo-*  
*si, non poterantque non amare Dantem,*  
*observareque, ac colere. Rediit in Italiam,*  
*& apud Camem Grandem Veronae Prin-*  
*cipem egit aliquamdiu, a quo suisset ma-*

ximis nuper honoribus affectus, cuius precibus motus est, ut interpretaretur sui operis Paradisum, eique titulo datet. Commentarios ego illos integros habeo, & illis delector maximopere. Non sunt ea eloquentiae praestantia, qua vel Ciceronis sunt *Orationes*, vel eorum codices, qui fuérunt apud veteres disertissimi &c. Accipe nunc ea, quae ad *Dantis Scripta* pertinent. Hic enim Poeta, inquit *Philelphus*, & eclogas nonnullas ediderat instar Virgilii, & epistolas innumerabiles paene, & epigrammata aliquot, & de exilio suo Lyricum carmen, quae vidimus, ac legitimus omnia, nec visa sunt indigna viro doctissimo, sed merito cedant huic dicendi generi, quo neque aliis ante ipsum eruditior, neque post ipsum fuit hactenus &c. *Pauſo post de Dantis Comedia ita loquitur*: Hanc coepit efficere Dantes anno aetatis suae primo, ac vigesimo, intermissamque per occupationes bellicas, castris que pericula iamdudum edidit demum Ravennae anno aetatis suae secundo, & quadragesimo &c. *Et paulo post*: Edidit vero Dantes & cantiones, & Sonettos, quos vulgus appellat, quamplurimos. Sed cantionibus vicit ceteros omnis rythmorum magistros, & ea imprimis, qua sic incepit, ut eius interpreter versum initii:

O cui

O cui<sup>(1)</sup> vis superis, amor, est data fortis ab armis,

Solis ut assiduus splendor ab ore ruit &c.

*Et paulo infra*: Edidit Guelforum, & Gibellinorum historiam materno sermone, orationeque soluta, cujus hoc est initium: Facturo<sup>(2)</sup> mihi de rebus nostris verba, subverendum est, ne quid temere dicam, ne quid incomposite &c. Haec fere sunt, quae sua dixit lingua, litterarumque mandavit immortalitati &c. *Deinde*: Romano quidem stylo edidit opus, cui Monarchiae dedit nomen, cuius hoc est principium: Magnitudo eius, qui sedens in throno cunctis dominatur &c. *Et paulo post*: Edidit et opus de Vulgari Eloquentia hoc principio: Ut Romana lingua in totum est Ornamentum nobilitata Terrarum, ita nostri cupiunt nobilitare suam. Propterea que difficilius est hodie recte nostra, quam perite Latina quicquam dicere &c. *Initium buius operis*, quod a Philelpho producitur, differt ab eo, quod in impressis de Vulgari Eloquentia libris legitur. *Quamobrem magis, magisque constat vera sensisse nonnullos*, quum opinati sunt, duos illos de Vulgari Eloquentia liberos

(1) Amor, che muovi tua  
vertù dal Cielo,

Comil Sol lo splendore ec.

re, molto debbo dubitare di non  
dir con presumptione, o mal  
chompositamente chose alchuna  
ec.

(2) *Dantis verba sunt*: Do-

vendo de' fatti nostri favello.

bros, qui Latine, & Italice circumferuntur, non fuisse a Dante compositos, praeſertim quum Latine tantum eos elucubraverit Dantes, ut Philelphus testatur. Sequitur idem Philelphus: Edidit & epistolæ innumerabiles: aliam, cuius est hoc principium ad invictissimum Hunnorū Regem: Magna de te fama in omnes dissipata, Rex dignissime, coegit me indignum exponere manum calamo, & ad tuam humanitatem accedere: aliam, cuius est hoc initium rursus ad Bonifacium Pontificem Maximum: Beatitudinis Tuæ Sanctitas nihil potest cogitare pollutum, quæ vices in Terris gerens Christi totius est misericordiae sedes, verae pietatis exemplum, summae Religio- nis apex: aliam, qua filium alloquitur, qui Bononiae aberat, cuius hoc est principium: Scientia, mi fili, coronat homines, & eos contentos reddit, quam cupiunt Sapientes, negligunt insipientes, honorant boni, vituperant mali &c. Edidit alias, quas habent multi. Mihi quidem est enumerare difficile &c. *De Dantis vero Legationibus haec affert Philelphus:* Quatuor, ac decem Legationibus est in Republica sua functus: ad Senenses pro finibus, quos suo nutu composuit: ad Perusinos pro civibus quibusdam Perusi detentis, quos secum reduxit Florentiam: ad Venetorum Rem- publi.

publicam pro iungendo foedere, quod effecit, ut voluit: ad Regem Parthenopaeum cum muneribus contrahendae amicitiae gratia, quam contraxit indelebilem: ad Estensem Marchionem in nuptiis, a quo praepositus est Legatis reliquis: ad Genuenses pro Finibus, quos composuit optime: ad Regem Parthenopaeum rursus pro liberatione Vanni Barducii, quem erat ultimo affecturus supplicio. Liberavit autem Dantis oratio egregia illa, qua sic incepit: Nihil est, quo sis, Rex optime, conformior Creatori cunctorum, & Regni tui largitori, quam misericordia, & pietas, & afflictorum commiseratio &c. Ad Bonifacium Pontificem Maximum quarto fuit Orator, semperque impetravit, quae voluit, nisi ea Legatione, qua nondum erat functus, cum exul factus est. Ad Regem Hunnorum bis missus exoravit omnia. In Galliam ad Regem Francorum Orator aeternum amicitiae vinculum reportavit, quod in hodiernum usque diem radices habet. Loquebatur enim idiomate Gallico non insipide, ferturque ea lingua scripsisse nonnihil. Sed ea dumtaxat refero, quae certo scio, quaeque ipse vidi. Cetera non ausim affirmare &c. Tandem haec de Dantis filiis, posterisque tradit Philebus. Filios habuit (Dantes) quatuor:

Pe-

Petrum, Iacobum, Aligerum, & Elisaeum. Peste sunt oppressi Aliger, & Elisaeus, cum annum duodecimum alter, alter vero octavum attigissent. Iacobus obiit Romae per aeris intemperiem, cum illo profectus est pater Orator. Petrus autem cum Florentiae coepisset navare operam iuri civili, deinde Senae, Bononiae demum studium explevisset, essetque iure-consultus effectus. Doctoratusque donatus insignibus assidue, dum pater vixit, cum secutus est pientis. simus. Post patris obitum, de quo non multo dicetur inferius, dimissa Ravenna Veronam accessit, & cum assiduitate consulandi, tum felicitate patriae memoriae multorum adiumentis ditissimus factus est, incoluitque Veronam. Ex eo natus est Iacobus, qui tantundem adhibuit operam legum scientiae, rythmisque interpretatus est avi codicem rei veritate a Petri patris Commentariolis accepta. Exstant autem in huic usque diem utriusque sententiae, & quas Petrus de Dantis sui patris protulit libris, & quas Iacobus rythmis expressit, nec arbitror quemquam recte posse Dantis opus commentari, nisi Petri viderit volumen, qui ut semper erat cum patre, ita eius mentem tenebat melius. Ex hoc Iacobus natus est nemo, qui diem obiit Iunior. Ex Petro vero iure-consulto post Iacobum  
natus

natus est alter Dantes ob Avi memoriam  
sic a patre nominatus , qui & civis optimus fuit , & vir deditus familiaribus negotiis . Ex Dante hoc secundo natus est Leonardus vir integerrimus , quem se meminat Leonardus Arretinus vidisse Florentiae , quo profectus est visendaे urbis gratia , ad sequē tanquam ad proavitatae memoriae amicissimum devenisse , a quo multa suae antiquitatis , maiorumque didicerit ornamenta , quae illi fuissent idcirco incognita , quod iamdudum alias urbes incoluisse Familia Dantis . Venisse vero dixit eum illo multis comitatum , summoque cum vestimentorum ornatū , omnique splendore , iuuenemque fatetur Arretinus se vidisse ut nobilissimum , ita prae se ferentem maximaे signa & virtutis , & gratiae . Hic quum & paterna manu praescripta legisset quam plurima , diligenterque conspexisset omnem patriam antiquitatem , rediit Veronam , progenuitque filios nonnullos , e quibus hodie dumtaxat hac vescitur aura Petrus iunior , qui a Petro Dantis primi filio nomine donatus est , qui & optimus vir est , & civis integerrimus , quique in Urbe Verona maxima & apud cives , & apud universam Venetorum Rempublicam & auctoritate valet , & gratia , quo ego sum usus quamfamiliarissime , audivitque a me

non-

nonnullas Dantis atavi sui partes, quas anno superiore sum interpretatus Veronae, mirificeque est illius lectione delectatus. Ex hoc autem Petro duo sunt filii, quorum alium Dantem, alium voluit a superiorum memoria dici Iacobum &c. *Haec sunt, quae ex Philelphi MS. Libello ad Dantem spectantia in Historiae Litterariae incrementum erui possunt.*

*Vt autem ad Manettum nostrum revertamur, ex tribus auctōribus, quos Dantis vitam litteris mandasse narrat, duos tantummodo Leonardum videlicet, & Boccaccium probat: Villanum vero tanquam ieiunum, atque exilem notat. At longe aliter sensit in Vita Dantis MS. Marius Philelphus. Siquidem Ioannis Boccacci, & Leonardi laborem improbat, utque Philelphi censura eruditis innotescat, eiusdem verba ex MS. subnectam. Iohannes enim Boccaccius (scribit in proemio Philelphus) Florentinus vir sua tempestate doctissimus, & Leonardus Arretinus vir nostris diebus unice doctus, ac eloquens inanem hac in re mea quidem sententia laborem assumperunt, qui vulgo servire malentes, quam doctis hominibus vulgari Dantis vitam stylo perscripserunt. Quorum uterque, ut arbitror, diversa ductus est opinione. Boccaccius quoniam valeret plurimum politissima Florentiae lingua: Leonar-*

ardus quia videret Dantis codicem rythmis  
esse , non carmine insignitum . Expedite  
autem neuter executus est , quod incep-  
rat , cum & alter cupidineis ludendi aptior,  
quam hominum gravium , & excelleotium  
quarrandis moribus ita sit , quae ad Dan-  
tem attinebant , complexus , ut amantem ali-  
quem Florium se censeat effinxisse . Alter  
vero Latinae Historiac , quam maternae  
aptior tenuis admodum stylo , & ieiuna-  
sit rem ipsam meditatus oratione . Ego ve-  
ro & commodius potui hoc efficere &c.  
*In vita vero post descriptionem belli , quod*  
*Florentini cum Arretinis apud Campaldinam*  
*gessere , & cuius magna pars fuit Dantes ,*  
*bacca animadvertisit : Hanc huius Viri tam*  
*inclyti laudem voluisse esse Boccaccium ,*  
*abunde prosecutum , aperuisseque , quid ges-  
serit , & rei ordinem enarrasse , non eam ex-  
pressisse levitatem , amoremaque amorum*  
*novem , quem ego in Dante fuisse nun-  
quam existimari , sed fictam censuerim .*  
*esse rem omnem . At amasse illum eo fa-  
cilius potuit persuaderi Boccaceio , quod*  
*erat ipse Cupidinis servus , ultroque suapte*  
*natura ducebatur , ut crederet , Veneris fi-  
lium , quem dominum delegisset , impe-  
rasse quamplurimis &c. Et paulo infra de*  
*eodem Boccaceio : Sed ut si quis ebrius ea*  
*lenserit , quae dicta sunt mystice : bibite ,*  
& ine-

& inebriamini , & cadetis , & vometis , secundum vini suavitatem interpretabitur ; ita Boccaccius amantium Princeps Beatricis amorem , virtutis inquam , ac Beatitudinis iucunditatem secundum carnis voluptatem iudicavit . Recte igitur illud : tractant fabrilia fabri , & illud rursus : qui de terra est , de terra loquitur . Amabat ergo virtutes Dantes &c. *Paucis deinde interiectis sequitur de Boccaccio Philelphus :* Id autem aequa mente ferre non possum , quod Boccaccius ipse sibi malens , quam veritati obtemperare uxores dicat vehementer obesse studiis , quippe quae animos iuvenium a litteris abhorrere cogant . Haec si velimus ratione potius , quam nonnullorum pravitate cognoscere , longe aliter habere intelligamus . Nam &c. *Denum :* Causa vero , cur coactus sit paulo post eam dignitatem relinquere Dantes patriam , ea est , quam Boccaccius sicco praeteriit pede , quam nesciret ; Leonardus autem Arretinus diligenter expisserit , qui eius tempestatis historiam scripsit &c. *Habes iam , quid de vita Dantis a Leonardo Arretino , sed praesertim ab Ioanne Boccaccio scripta senserit Io. Marius Philelphus . Nunc ad illos , quos Petrarchae vitam scripsisse Manettus narrat . progrediamur .*

*Duo sunt , quos memorat Manettus Petrarchae vitam litteris mandasse : Philippus*

† †

fili-

scilicet Villanus, & Leonardus Arretinus, Villanoque exilitatem, ac brevitatem, ut nuper diximus, obiicit. Prima delitescit adbuc in Bibliotbecis: altera vero plus vice simplici edita est. Nescio tamen quoniam casu factum sit, ut eiusdem Poetae vita a Petro Paulo Vergerio seniore, & a Siccone Polentono elucubrata Menneti nostri diligentiam effugerit. Vitam Petrarchae a Paulo Vergerio scriptam ex Patavina Biblioteca S. Ioannis in Viridario apud Petrarchae opera eruit Iacob: Philippus Tomasinus in Petrarcha Redivivo pag. 175. seq. editionis secundae, incipitque: Franciscus Petrarcha Florentinus origine ex antiqua Familia &c. cui idem Tomasinus pag. 185. seq. memoratae editionis alteram subiecit a Siccone Polentono scriptam. Polentoni buiusce labor buiusmodi titulum apud Tomasinum praesertim fert: Francisci Petrarchae Poetae Clarissimi vita feliciter incipit. Auctoris incerti anno 1463. ex MS. V. C. Iacobi Gaffarelli. Quo quidem in loco duo animadvertenda sunt. Et primo hunc incertum auctorem esse Sicconem Polentonum innuit ipsem et Tomasinus pag. 7. eiusdem operis, idemque aperiens indicat Cap. VIII. pag. 35., ubi alium codicem buiusce vitae a Polentono scriptae commemorat his verbis: Quem (scilicet Paulum Vergerium) deinde secutus non infeliori conatu Xicho Polentonus Verge-

rii aequalis. *Paucisque interiectis*: Hunc apud Dominum Gaffarellum videre licuit ad calcem Poematum Etruscorum , quae in membranis scripta anno 1463 , cui plane similis in Museo Viri spectabilis Ioannis Reinst Amstelodamensis ipsius humilitate ad me transmissus &c. Et paulo infra : Etsi vero Polentoni nomen non praeseferat, auctorem tamen hunc esse confirmat stylus, & frequens Ciceronis mentio, quem ut Grammaticus mire colebat. &c. Praeterea fallitur Tomasinus , quum banc Petrarchae vitam anno 1463. a Siccone scriptam fuisse narrat , errorisque causa ea fuit, quod in codice membranaceo Poematum Etruscorum Petrarchae , ad cuius calcem eadem vita reperiebatur , annus 1463. adnotaretur. Sed quis non videat banc epocham ad annum, quo codex a Librario exscriptus fuit, non verò ad eum , quo Petrarchae vitam composuit Sicco , referendam esse ? Petrarchae si quidem vita antiquior est , quum opus Scriptorum Illustrium Latinae Linguae ad Polydorum filium , cuius Libro IV. eamdem vitam inseruit Sicco , anno 1433. ab eo compositum fuisse Gerardus Ioannes Vossius , & Ludovicus Antonius Muratorius crediderint. Polentonius in vita Boccaccii nondum edita , insertaque Lib. VIII. sui operis , & a nobis paulo infra pag XXXIX producenda Carolum IV. Imperatorem

\* † ‡

torem commemorans subiungit patrem Sigismundi fuisse , qui nuper ab Eugenio IV. Imperii coronam acceperat . Sigismundus corona donatus fuit ab Eugenio IV. exeunte Maio an. 1433: Quamobrem necesse est , ut paulo post annum 1433. opus suum confecerit Polentonus . Principium vero , finisque buiusce vitae a Polentono nobis traditae inter se differt tam in editione Philippi Tomasinii , quam in MSS. Bibliothecae Ambrosianae Mediolanensis , & Riccardianae . Nam Tomasinii editio ita incipit : Franciscus Petrarcha Florentinus fuit &c. Codex Ambrosonianus : Sed ad propositum revertamur . Adebat namque memorandus hoc in ordine Poetarum Franciscus Petrarcha . Conterraneum ipsum , ac prope contemporaneum habuit , quem nominavi , Dantes . Pubescebat enim Petrarcha , nec annos plures septem , ac decem agebat , cum mortem Dantes obiret . Vitam in exilio etiam iste duxit . Exul namque hic natus , ille mortuus est . Florentiae vero civis uterque . Huius pater nomine Petrus Petracon , mater Laeta appellati sunt , familia veteri ambo , & parentibus honestis nati &c. Codex vero Riccardianus : Hoc enim generre canendi lingua patria , ut ceteros praetermittam , Franciscus Petrarcha doctus Vir , & ante alios memoriae suae togatos homines excellentis famae , ac Poeta non igno-

ignobilis delectatus est &c. *Disparem quoque finem tam codices*, quam editio habent. *Editionis enim finis biusmodi est*: Atque illud constat, quod etsi non adaequandus Ciceroni, nec Virgilio videatur; id tamen est suo ingenio, ac diligentia asscutus, quod istis in studiis & sui, & superioris temporis omnes ad multos annos quovis dicendi in genere superavit &c. *MS. Ambrosianus Mediolanensis*: Atque illud constat, quod etsi non adaequandus Ciceroni, nec Virgilio videatur; id tamen est suo ingenio, ac diligentia asscutus, quod istis in studiis & sui, & superioris temporis omnes ad multos annos quovis dicendi in genere superavit. Haec sunt, mi Polydore fili, quae habui nostrum ad institutum, ut dicerem de Petrarcha. *Codex autem Riccardianus*: Senio, & apoplexia confectus ibi defunctus vita est, ac sepultus. *Quamobrem magis, magisque constat, Sicconem Polentonum opus suum plus vice simplici digessisse*, ideoque diversa inter se exemplaria, sed eadem fere, si res spe-  
Etes, continentia in vulgus emisisse. Sed antequam Sicconem omittamus, reiicienda sunt, quae de vita Petrarchae a Polentono scripta comminiscitur *Iulus Niger*. Nam in *Historia Script. Florentinorum* pag. 213. edifferens de iis, qui Petrarchae vitam scripsierunt, inter alios nominat *Kicum Piccolomineum*, paulo post *Sicconem*

mis, ac multis plena. Decades praeterea tres Titi Livii patrum in sermonem vertit. Patria vero sibi, quae florum Tusciae flos est, Florentia fuit. Sed plurimum Neapoli Regia in Aula obversatus est. *Huc usque Boccaccii vita a Siccione Polentono scripta.*

*Philippus Villanus unus, idemque cum Historico celeberrimo eiusdem nominis, cuius Latinum Opus de Florentinis Illustribus Viris pag. 3., & 5. buius proemii memorat Jannotius Manettus, nonnulla nobis expeditat animadversione digna, & ad eumdem de Florentinis Illustribus Viris libellum spectantia, quae nullo modo praetereunda sunt. Et primum multi adbuc exstant codices, qui Philippi Villani opus continent, nempe Chartaceus Bibliothecae Riccardianae Q. IIII. fol. Num. XVIII., & Magliabechianae Class. VIII. fol. 45. His, aliisque Villani Codicibus, qui in hisce Bibliothecis delitescunt, antiquior est Mediceo-Laurentianus in 4. pariter chartaceus, ad servatusque Plut. LXI. Num. 41., qui quidem omnes Illustrium Florentinorum vitas a Philippo Villano scriptas Italice nobis exhibent. Verum a Manetto nostro discimus, Philippum Villanum non Italicas, sed Latinas easdem. vitas effecisse. Scribit enim in proemio pag. 3. Quamquam etiam Philippus Villanus inter*

ter hos duos eruditissimos Viros temporibus interiectus nonnulla de Florentinis illustribus Viris Latinis litteris in opusculum quoddam redegerit. *Et pag. 5: Ad Villanum autem, qui non ut illi singularissimi Viri vulgares nostrorum Poetarum Vitas, sed Latinas effecit, aliter respondendum esse censemus.* Legimus enim eum librum, qui de Florentinis Illustribus Viris inscribitur &c. ex quibus verbis *Latini etiam opusculi titulum accipis Praeterea exstat in eadem Bibliotheca Mediceo - Laurentiana Plut. XLI. N. 20. Codex Chartaceus in 4. Italicus, cui titulus: Notitia di Antonio Manetti a Giovanni di Nichold Cavalcanti di Guido di Messer Cavalcante suo conserto ec. Colligit in hoc opusculo Antonius Manetus Guidonis Cavalcantis versus, atque Aegidii Romani, Dinique del Garbo Physici praestantissimi Commentaria in Cantilenam illam Italicam Donna mi priequa &c. Italice traducta, quibus adiicit doctissimorum Virorum de Guidone Cavalcante testimonia. Inter hos post Dominicum Arretinum in suo Fonte Rerum Memorabilium recensetur Philippus noster, cuius opus de Florentinis Illustribus Viris his verbis laudat Antonius Manetus. Trovai anchora el libretto di Filippo Villani intitolato de Viris Illustribus di Firenze &c., ita ut constet Villani exemplar, quo usus*

usus est Antonius, Latinis litteris scriptum fuisse. Quamobrem decipitur Cl. Ludovicus Muratorius, quum in vita Petrarchae, quam eiusdem rythmis Venetiis anno 1741. in 4. impressis praemisit, enumerat Philippum Villanum inter illos, qui Petrarchae vitam Italicis litteris tradiderunt. Latinas etenim eiusdem Poetae, aliorumque illustrium Florentinorum vidas composuit Villanus, quae postea saeculo XV. ab anonymo Italice traductae sunt. Et quidem MS. Mediceo-Lorentianus, qui hoc Villani opusculum italice versum continet, saeculo decimo-quinto exaratus est. Accedit ad haec, quod Antonius Manettus in libello MS., cuius titulum nuper produximus, Guidonis Cavalcantis vitam non Latine, sed Italice producit. Ait enim pag. 91. seq: Trovai anchora el libretto di Filippo Villani intitolato de Viris Illustribus di Firenze, e fra molte altre vite pone la vita di chostui, e dice chosì. Ghuido figliuolo di Messere Cavalcante &c. Nullus dubito, quin Antonius Manettus Guidonis Cavalcantis vitam a Villano Latine scriptam Italice ipse transtulerit, quum praesertim aliorum de Guidone testimonia in suo libello Notitia vulgo inscripto in Italicā linguam verterit. At quid, si idem ipse Antonius integrum Philippi opusculum Italice transtulavit? Si Codex Laurentianus nobis exhibuis-

set

set vitam Cavalcantis , uterque apographus inter se collatus banc coniecturam vel probaret , vel plane reticeret . Exstat quidem Cavalcantis vita in Codd . Villani Riccardiano , Magliabechiano , altisque . Sed praeterquamquod ii recentioris aetatis sint , ex Antonii Manetti codice in eisdem invectam puto . Unum tamen fragmentum ex vita Dini del Garbo ab Antonio Manetto italice productum legitur etiam in Cod . Villani Mediceo . Laurentiano , ubi integra eiusdem Dini vita reperitur . Antonii verba sunt haec pag . 193 . E parlando di Maestro Dino del Garbo dice in tralla vita sua queste parole . Questi commentò la vulgare canzone di Ghuido Cavalcanti Fiorentino , la quale de' movimenti , cagione , natura , e costumi d' amore , che alla libidine serve , con ragioni fisiche , e morali succintamente , e mirabilmente dimostrò &c . Quae quidem ita effert codex Mediceo - Laurentianus : Questi anche commentò la vulgare canzona di Guido Cavalcanti Fiorentino , la quale de' movimenti , cagione , et costumi , natura d' amore , che serve alla cupidine , con ragioni Filosofiche , & morali si cautamente , & mirabilmente dimostra ec . At extam parvo fragmento nibil certius potest . Fridericus Ubaldinus , qui anno 1640 . Documenta Amoris a Francisco Barberino composi .

posita Romae in lucem edidit, inter clarorum hominum de Francisco testimonia afferat eius vitam a Villano Latine scriptam, & ex Latino eiusdem codice excerptam, cui adiungit Italicam ex MS. Mediceo - Laurentiano erutam. Ubaldinus Solitarii cognomen tribuit Philippo Villano, quia tamen idem est, ac historicus, ut supra diximus. Deinde perperam tradit Italicam ab anonymo compositam, & a Villano fuisse traductam, quem potius eiusdem auctor sit Villanus, anonymous vero ille, qui eam Italice translulit.

Alterum nodum dignum vindice, & ad Villani vitas pariter spectantem nobis offert idem MS. Mediceo - Laurentianus, in quo eadem vitae continentur. Namque his verbis exorditur vitam Colucii Salutati, quam nos Tom. i. Epistolarum eiusdem Colucii pag. LXIX. seq. in lucem eruimus. Io ho già secondo la facoltà mia satsfatto a cinque Poeti mia concivi illuſtrissimi ec. quasi vero quinque Poetarum vitas p̄aemiserit Villanus. At haec tres quidem tantum sunt, nempe Claudio, Zenobio Stratae, Iohannisque Boccacii. Quid igitur consilii capiendum? Num reponenda lectio MSS. Riccardiani, Magliabechiani, aliorumque recentiorum, qui pro quinque tres babent? Sed haec indocti scriptroris nupera emendatio est, qui id temere fecit, ut Villani verba cum vitarum, quae prae-

praecesserant, numero convenirent. Lectio-  
nem MS. Laurentiani probat Iannotius Ma-  
nettus, qui in hoc proemio tam Dantis, quam  
Petrarchae vitam a Villano scriptam fuisse  
passim innuit, quas si tribus illis Cladulant,  
Zenobio Stratae, Iohannisque Boccacci, quae  
in eodem codice leguntur, adiungas, vitae  
Colutii alias quinque a Villano praemissas agno-  
scas, atque adeo vitarum numerus cum Villani  
verbis conveniet. Quamobrem desunt in Codice  
Mediceo - Laurentiano, aliisque vitae Dan-  
tis, ac Petrarchae a Philippo Villano com-  
positae, quarum postrema de Vita, & moribus  
Petrarchae inscripta adservabatur MS. cum  
aliis saeculo XVII. in Biblioteca Eminentissimi  
Cardinalis a Balneo, ut Iacobo Philippo Tom-  
masino indicavit vir Cl. Gabriel Naudaeus, cui  
Princeps ille Eminentissimus librorum suorum sa-  
pientiæ item commiserat. Ex quo Naudaci Baldini  
que nuper producti testimonio cognoscimus Lat-  
inum Villani MS. saeculo XVII. superfuisse, ubi co-  
demque Villano vitam quoque Petrarchae Lat-  
inis litteris fuisse traditam. Codex Villani Me-  
diceo - Laurentianus pro vita Dantis, ac Pe-  
trarchae a Villano scripta continet vitam Dan-  
tis a Boccacio, & a Leonardo Arretino com-  
positam, alteramque Petrarchae ab eodem  
Leonardo elucubratam, quae quam prolixio-  
res sint, idcirco in illarum a Villano scri-  
ptarum locam invertas fuisse suspicor.

Ter.

Tertius quoque nodus in MS. Villani Mediceo - Laurentiano occurrit. Nam inter vitam Guidonis Bonatti, & Lucerii veteris habet vitam Pauli Geometrae, Francisci Caeci, aliorumque Florentinorum Musicorum, Iotti, aliorumque Pictorum Florentinorum, qui in Codd. Riccardiano, Magliabechiano, aliisque prorsus desiderantur. Sed eorum vitas a Villano compositas fuisse nos edocet Iannotius Manettus in proemio cuiuscum libelli, ubi pag. 5. de Villani opusculo: Legimus enim, inquit, cum librum, qui de Florentinis Illustribus viris inscribitur, in quo omnes omnium nostrorum vitas quicunque vel armis, vel scientia, vel arte, vel facultate quadam excelluerunt, in unum congesit. Unde & nonnullorum Principum, & Medicorum, & Theologorum, & Iurisconsultorum, & Poetarum denique, & Pictorum laudes admiscuit &c. Lacunam, quae in MSS. Riccardiano, Magliabechiano, aliisque reperitur, profectam puto ex codice, unde apographi illi recentiores profluxerunt, cui pagina omnino deerat. Plura de hoc Manuscripto Villani opere expectamus ab erudissimo Comite Ioanne Maria Mazzuchellio Brixiensi, qui hunc libellum animadversionibus suis illustratum in lucem editurus est.

Tandem animadvertis velim in hac editione sedulo expressam esse scripturam nitidissimam

A D L E C T O R E M .      XLVII

mi Codicis membranacei Mediceo - Laurentiani , ex quo hac trium Illustrium Poetarum Florentinorum vitae exscriptae sunt . In vita Dan- tis sub initium lineae 27. pag. 25. perperam excusum est Ion pro Pylon , quam quidem ur- bem Nestoris Patriam inter eas recensebant , quae de Patria Homeri inter se contenderent .







# IANNOTII MANETTI

## P R A E F A T I O

JN VITA , ET MORIBVS TRIVM ILLVSTRIVM  
POETARVM FLORENTINORVM .



**N**on alienum fore putavimus, si post laboriosum, ac prolixum Longaevorum opus, quod nuper in sex libris conscripsimus, singulas trium illustrium nostrorum Poetarum vitas recreandi animi gratia Latinis litteris manda remus. Nam quum in memorato Longaevorum nostrorum volumine cuncta prope maiora omnium Virorum facta, qui vel sanctitate morum, vel excellentia doctrinae,

A

vel

vel rerum gestarum gloria penes unamquamque gentem diutius floruerunt , ab origine Orbis supra quinque annorum millia breviter repetita simul collegerimus , atque ex his omnibus velut unum florum undique decerptorum corpusculum effecerimus , quis sanae mentis descriptionem rerum vel domesticarum , vel civilium nostrorum Poetarum nobis alienam , seu non potius propriam , & peculiarem fore censemus , qui tot , & tantas non modo nostrorum , & Latinorum , sed etiam Graecorum , & exterorum vitas partim penuria Scriptorum , partim negligentia temporum apud nos obscuratas , & paene deletas , partim etiam per multiplices , & varios codices passim hinc inde dispersas nuper e tenebris in lucem revocavimus , atque nimirum prostratas humi , iacentesque in terra in unum ereximus , atque extulimus ? Nisi si quis forte dixerit haec ipsa , quae nos in praesentiarium scribere instituimus , a pluribus doctissimis simul , atque eloquentissimis Viris iampridem fuisse descripta . Quod equidem non nego : sed primum Dantis vitam ab Ioanne Boccacio Viro eruditissimo materno sermone editam , & a Leonardo postea Arretino o- nium nostri temporis eloquentissimo eiusdem Poetae simul , atque Petrarchae gestas Florentino idiomate elegantius conscripta fu-

is-

isse fateor. Quamquam etiam Philippus Villanus inter hos duos eruditissimos Viros temporibus interiectus nonnulla de Florentinis illustribus Viris Latinis litteris iisque opusculum quoddam redegerit. Quocirca hunc scribendi laborem frustra assumpsisse videbor, quandoquidem de eisdem a pluribus non indignis Auctoribus scriptum esse constat, nisi paucis causas prius assignavero, quae me ad scribendum compulerunt. Dantem, Petrarcham, & Boccaccium tres illos per egregios Poetas nostros, quorum vitas in hoc codice nuper adumbravimus, usque adeo in vulgus consensu omnium clariisse constat, ut nulli alii hac vulgari opinione pacie illustres Poetae a coconditione Orbis fuisse videantur, quod ideo contigisse arbitror, quoniam illi cum carmine, tum solita oratione in hoc materno scribendi generre ceteris omnibus praesbiterunt, quem in Latina lingua multis non modo veteribus, sed etiam novis nostri temporis Scriptoribus inferiores apparet. Itaque quemadmodum apud vulgares homines Litterarum ignoratos, & omnis doctrinae imperitos praeclaris Miris in maxima & ingenii, & eruditionis admiratione habentur; ita apud eruditos, & doctos cuncta passim vulgaria scripta, sive quibus illi excelluisse perhibentur, flocculent, & pro nihilo habentes patriles.

xistimantur, & fiunt. Ita evenit, ut plerumque ab ignaris, & indoctis hominibus laudentur, eruditorum vero nullus vel poemata, vel fabulas, aliave eorum scripta, nisi forte vel ridendi, vel iocandi gratia aliquando in manus sumit, quod longe aliter evenire intelligimus, quam meritis tantorum Virorum laudibus convenire videatur, ac etiam secus sibi accidisse arbitramur, quam vel viventes concupissent, vel nunc mortui cuperent, si quis illis rerum nostrarum sensus esset. Omnes enim erudi-  
ti Viri quicumque ullo unquam tempore fuerunt, illustrium, ac laudatorum hominum laudes frivolis ceterorum commendationibus posthabitae etiam, atque etiam adamaverunt, ut Hector ille Naevianus aiebat, qui nondisa laudato Viro laudari cupiebat, quod non ab Hectore, cuius fortassis illa sententia non erat, sed a Naevio peregregio Poeta dictum accepimus. Quod si homines docti eruditorum Virorum laudes, ceterorum non ita exoptant & cupiunt; profecto Poetas nostros vel parvifacere, si res humanas curant, has omnes imperiti, & inlaudati vulgi commendationes, vel parum excellentibus eorum laudationibus ex his vulgaribus gestorum suorum scriptis satisfactum, fuisse existimandum est. Ad haec etiam illud accedit, quod Boccaccius Dantem dum-

taxat expressit ; Leonardus vero & Dantis, & Petrarchae vitas tertio penitus omisso in unum coniunxit. Atque haec pauca ad duos illos eruditissimos Viros dixisse sufficiat. Ad Villanum autem , qui non ut illi singularissimi Viri vulgares nostrorum Poetarum vitas, sed Latinas effecit, aliter respondendum esse censemus . Legimus enim eum librum, qui de Florentinis Illustribus Viris inscribitur , in quo omnes omnium nostrorum vitas, quicumque, vel armis, vel scientia , vel arte , vel facultate quadam excellerunt , in unum congregavit . Vnde & non nullorum Principum , & Medicorum , & Theologorum , & Iuris-Consultorum , & Poetarum denique , & Pictorum laudes admisit, quod quum facere conatur , id profecto effecisse videtur , ut horum nostrorum Poetarum laudationes iciune , & exiliter quasi mendicans in angustiis nescio quibus compingeret , atque in angulis quibusdam coarctaret, & non ex rerum gestarum ubertate affluenter redundaret , ac paulo latius explicaret . Quapropter ego his singularissimis civibus nostris , atque peregregiis etiam Poetis pro virili mea succurrere aggressus novas eorum vitas Latinis litteris mandavi , idque praeципue ea causa adductus feci , ut maximas eorum laudes , quae in plebecula hactenus latere videbantur , ad eruditos ,

& doctos Viros tandem aliquando conferrem , qui vulgata cunctorum hominum scripta , qualia pleraque nostrorum Poetarum praecipua & habentur , & sunt , semper contemnere , atque floccifacere consuerunt .



IAN-



# IANNOTII MANETTI

## VITA DANTIS

POETAE FLORENTINI.

**D**Antes Poeta clarissimus ex Vrbe Roma , ut ipse quodam loco innuere videtur , originem traxit : principium vero generis ab Elisaeo quodam ex Frangipanorum , ut quidam ferunt , Familia in veterata opinione hominum referebat . Florentiam quippe a Syllanis militibus diu antea conditam , seu ab Attila Hunnorum , seu potius a Totila Gothorum Rege confuso propter similitudinem utriusque vocabulo , vel funditus , vel certe aliqua ex parte deletam uteumque fuisse constat , quam quidem Carolus inclytus Francorum Rex trecentos , si ab Attila eversam , si vero a To-

tila ducentos post eversionem circiter annos  
egregie admodum recondiderat , cui profe-  
cto ob rerum a se gestarum magnitudinem  
Magni cognomen erat . Per haec igitur ipsa  
reconditionis tempora Elisaeus quidam  
Romanus adolescens Florentiam venisse per-  
hibetur . Hic enim Romanus adolescens si-  
ve multiplices , ac propemodum infinitas  
clades Romanis primum a Gothis , deinde  
a Vandalis , postremo rursus saepius a  
Gothis inflictas fugiens , sive a Carolo illo  
Romanorum Augusto veterem eorum ri-  
tum imitato ad inhabitandum noviter ur-  
bem una cum multis aliis Romanis Colonis  
transmissus accesserit , incertum est . Certe  
tamen per ea , quae scripta sunt , Florentiam  
applicuisse creditur . Romani namque ab  
illis barbaris gentibus , quas paulo ante  
commemoravi , varias , & quasi infinitas  
omnium prope generum clades iam diutius  
pertulerant . Ad inhabitandum quoque no-  
viter urbes novos colonos iampridem mitte-  
re consueverant , quibus praedia colenda ,  
atque inhabitanda sedes tradebantur . Unde  
has civium deductiones , consignationesque  
agrorum , Colonias appellabant . Huius i-  
gitur accessionis sive hanc , sive illam cau-  
sam , utramvis accipiendam equidem cen-  
se . Quamquam enim una verisimilior alte-  
ra esse videatur , utra tamen scorsum esse  
po-

VITA DANTIS.

potuit. Quum per longa deinde tempora hu-  
ius Elisaei genus multum admodum pro-  
pagaretur, in magnam demum sobolem e-  
vasit. Proinde factum est, ut vetusto Pa-  
tritiae Familiae suae nomine abdicato ab  
Elisaeo primo eorum Florentiae habitato-  
re Elisaei omnes vocarentur. In hac ita-  
que clarissima Elisaeorum Familia multo  
post tempore per ordinem successionis quem-  
dam natum esse ferunt magni ingenii, ac  
potentiae virum nomine Caccaguidam, qui  
ob sua quaedam p̄aeclara in re militari ge-  
sta sub Corrado Imperatore militans egre-  
gia militiae insignia non immerito reporta-  
vit. Hic igitur nobilis Caccaguida, Moron-  
to, & Elisaed duabus fratribus suis omis-  
sis ceu ad nostrum propositum minime per-  
tinentibus, virginem quandam forma, viri-  
busque p̄aestantem e clara quadam Aldi-  
gherorum Ferrarensium Familia in matri-  
monium accepit, ex qua quum plures filios  
suscepisset, unum ex multis, ut uxori mo-  
rem gereret, nomine Familiae uxoris suae  
Aldigherum cognominavit, quamquam D  
littera, ut in plerisque fit euphoniae causa,  
e medio sublata pro Aldighero Aligherum  
appellaret. Huius profecto tanta, ac tam-  
clara virtutum opera extiterunt, ut eius  
posteri, quemadmodum olim maiores sui  
pristino Familiae nomine prorsus extincto

pro

pro Frangipanis Elisaei cognominati sunt, ita nunc pro Elisaeis Aligheri eo undique nominarentur. Ex hoc igitur primo, praeclaroque Alighero inter multos ab ipso per longa tempora oriundos demum Federico Secundo imperante alter Aligherus extitit, qui Dantis eius, de quo haec scribimus, parens fuit. In tanta itaque, & tam clara Familia natum illum ferunt millesimo, ac ducentesimo supra sexagesimum quintum Christianae salutis anno vacante ob mortem iam memorati Federici Romano imperio, Sedente autem Clemente Quarto in Summo Pontificatu. At vero praegnanti matri paulo ante quam pareret, mirabile quoddam in somnis phantasma apparuisse perhibent. Namque in viridi prato iuxta limpидum fontem sibi consistere videbatur, ibique sub procera admodum lauru apparebat filium parere, qui cum baccis lauri cadentibus, tum quoque limpidi fontis aquis egregie nutritus pastor tandem evadebat, ac dum de frondibus lauri iam pastor effectus carpere conaretur, primum cadere, deinde in pavone postea conversus surgere videbatur. Haec, & huiusmodi egregia praegnantium mulierum somnia in praecipuis praesertim liberorum partibus vera esse vel facile crediderim. Nam & de Dionysio Siciliae Tyranno, & de Marone nostro Poetarum omnium

nnium praestantissimo , & de nonnullis de-  
nique aliis praestantioribus Viris praeognantes  
eorum matres per quietem egregia quaedam  
vidisse ab optimis auctoribus scriptum esse  
constat . Quippe praeognans Dionysii mater  
sanxiscum parere visa est . Consulti arioli  
ceterorum omnium potentissimum , claris-  
simumque futurum responderunt . Virgilii  
itidem mater puerperio propinqua laureum  
ramum edere videbatur , quem quidem coali-  
tum in mirabilem maturae arboris speciem  
paulo post excreuisse , ac variis pomis ,  
floribusque refertum esse cernebat . Postri-  
die vero Maronem enixa est . Quum haec  
igitur , aliaque huiusmodi ab optimis au-  
ctoribus scripta esse videantur , non sane  
intelligo , cur de Poeta nostro tam eximio ,  
tamque celebrato huiusmodi somnia in eo-  
dem prope visionum genere nedum vera ex-  
stisset credere , sed pro comperto habere , ac  
vera fuisse oracula per ea , quæ postea sub-  
secuta sunt , existimare certissime debeamus ,  
praesertim quum a gravi quodam Auctore ,  
& imprimis omnia Poetae gesta observante  
scriptum esse manifestissime appareat . In-  
fantem itaque per hunc modum egregie ad-  
modum natum , ac laeta satis patrimonii  
fortuna receptum , quasi de industria factum  
esset , recto nomine , faustisque ominibus  
Dantem ceu futura praesagientes appella-  
runt ,

runt, quem optimae, ac propemodum divinae indolis fuisse tradunt. Nam ut primum per aetatem discere potuit, mox primam litterarum clementa, quamquam cuiusdam formosissimae pueræ (mirabile dictu) ardentissimis amoribus teneretur, mirum tamen in modum ob quandam ingenii suæ excellentiam celeriter arripuit, in quos quietem amores, quoniam mirabile quiddam visum est, quemadmodum tam parvulus, tamque repente inciderit, non alienum fore pugnati singula vitae suæ gesta per ordinem prosecutus huic loco opportune inserere, praesertim quum ipse quodam librorum suorum loco præcipuam quandam eius rei mentionem fecerit. Erat per ea tempora inveterata civium consuetudo quotannis Kalendis Maii per vias, ac vicinias mulieres, atque viros una congregatos domi cuiusdam ex finitimus splendissime epulari, festumque diem pro more chœreis, cantibus, symphoniis, variis denique omnifariam instrumentorum sonis speciosissime celebrare. Quocirca nobilis quidam civis e clara Portinariorum Familia nomine Fulcus hunc veterem celebrandi ritum egregie secutus forte mulierum, virorumque catervas eadie domi suæ congregaverat. Inter ceteros vetero Aligherus, quem Dantis nostri parentem diximus, velut hospiti finitimus aderat, ac secum parvulus filius nono fere aetatis suæ

anno

anno forte accesserat. Solemini denique convivio celebrato, mensisque remotis Dantes seorsum, ut pueri solent, cum aequalibus ludebat; cetera vero turba maior natu choris, cantibus, sonis dedita erat. In magno alludentium puerorum cetu forte parvula quaedam hospitis filia consistebat. Bicem appellabant, quamquam ipse pro Bice semper Beatricem significantius soleat appellare. Haec quidem ita generosa, ita venusta, ita denique morigera erat, ut ea octavo circiter aetatis suae anno, quemadmodum ipse quodam loco scriptorum suorum manifeste testatur, moribus egregie praeter ceteras aequales uti videretur. Haec itaque, & huiusmodi praecipua in generosa puella divinae indolis puer vehementer admiratus eius amoribus, incredibile dictu, illico captus est, & ita quidem captus, ut huiusmodi amores teneris pueri ossibus, ac medullis impressi, inustique vehementius inhaererent. Quin immo usque adeo inhaeserunt, ut non modo dum puella viveret, nunquam dimitteret, sed quod certe mirabilius est, post acerbum eius obitum, quae vigesimo quarto aetatis anno e vita decessit, ad extremum usque vitae suae diem semper retinuerit. Tantus tamen, & tam vehemens amorum ardor ita invicem honestus fuit, ut ne minimus quidem aspectus inter se turpis ullo unquam tempore

re

re apparuerit. Quum igitur egregius prae ceteris puer tanto mentis ardore vehementius angeretur, litterarum tamen ludo deditus mirum in modum, ut supra diximus, prima earum elementa percepit. In extrema deinde pueritia mortuo iam patre artibus libero dignis, quas liberales vocant, propinquorum consilio, & imprimis Brunetti vi-ri per ea tempora eruditissimi operam de-dit, in quibus profecto incredibile dictu est, quantum in singulis brevi tempore profe-rit. Dialecticae namque, ac Rhetoricae magna omnia Mathematicorum cognitio-nem mirabiliter adiunxit. Poeticam insuper adolescens effectus prae ceteris omnibus adamavit, atque tantum eius peritiam cele-riter auxit, ut omnia nostrorum Poetarum quam primum sibi familiarissima essent, de qua plura fortasse suo loco opportunius di-cemus. Atque haec omnia artium studia ceteris adhuc annis Florentiae prosecutus est, quibus quidem studiis, quamquam ve-hementer deditus esset, se tamen a ceteris officiis libero dignis minime abstinebat. Nam & cum coequalibus conversabatur, & omnia suae aetatis munera obibat, ita ut in memorabili illo praetlio, quod Floren-tini adversus Arretinos in quodam campe-stri eorum agro (Campaldinum incolae vo-cant) prospere gesserunt, pugnare in prima acie

acie pro patria minime detrectarit, quem admodum ipse in epistola quadam diligenter describit eius praelii formam accurate demonstrans. In hac atroci dimicazione magna vitae suae discrimina adivit. Nam an- ceps praelium aliquandiu, & dubia victoria fuit. Arretini quippe equites primo impetu in equestris Florentinorum acies furentes eos adeo superarunt, ut ad pedites suos confuge- re cogerentur. Hic pedestris Florentinorum acies non modo rem Florentinam restituit, sed Arretinos etiam in fuga nostros passim emissa suorum pedestri acie persequentes fa- cile devicit, quo facto e vestigio ad pedites eorum contendentes itidem nullo negotio superarunt. Ita per hunc modum nostri tan- quam ovantes cum magna profligatorum ho- stium victoria domum reverterunt. Inter- ea puella, quam unice adamabat, e medio, ut supra diximus, acerba morte rapitur, quod ipse jam florenti aetate, supra quam dici potest, permoleste tulit. Nam & lachry- mis, & lamentationibus, & ciulatibus affi- duis diutius indulxit, quam tanto futuro Vi- ro convenire videretur, adeoque vehemen- tia doloris per ea ipsa mortis suae tempora agitatus fuisse dicitur, ut parum comederet, minus etiam dormiret. Proinde gracilis ef- fectus valitudinarius erat, qua in re multi- plices amicorum, propinquorum, agnatorum

co-

cohortationes nullatenus proderant , quin in dies vehementius afflictaretur . Quum per multos igitur menses acrius in dies angeretur , non multo post tempore amicis , & propinquis cohortantibus , ut tantum dolorem leniri pateretur , aures paulo liberius tandem aliquando praebere cepit . Atqui propinqui , & agnati de eius salute , ut par erat , solliciti tempus accipiendae uxoris opportunum venisse rati , quod tantorum dolorum unicum remedium fore censebant , summis precibus rogant , uxorem accipiat , quibus quidem quum diutius repugnasset , assiduis demum eorum precibus oppugnatus non multo post adamatae puellae obitum vigesimo sexto aetatis suae circiter anno uxorem accepit , nec tamen id , cuius gratia uxorem acceperat , assecutus est , in quo nimirum omnipotens fortuna sibi adversata videtur . Nam uxorem habuit e clarissima Donatorum Familia nomine Gemmam morosam admodum , ut de Xantippe Socratis Philosophi coniuge scriptum esse legimus . Proinde magna amorum sollicitudini altera ingens morosae uxoris cura acceperat , tantumque absuit , ut aegritudinis solatia exinde provenirent , ut maximis quoque angoribus ob rem uxoriam iugiter angeretur . Perversos quippe uxoris mores domi tolerare nitebatur , ne foris temerarias mulierum petulantias subire

re cogeretur. Diutius itaque stultam uxoris pervicaciam per hunc modum pertulisse dicitur. Sed quum ulterius intolerandam eius impudentiam tandem ferre non posset, suscepit exinde pluribus liberis ab ea ita demum discessit, ut quasi divortio inter se facto amplius posthac vix substinuerit. Accepta igitur, quemadmodum diximus, uxore, susceptisque iam liberis nova rei familiaris cura, sicuti est natura mortalium, hominem invitavit, ut ad Remp. se conferret, cui quidem trigesimo ferme aetatis anno vehementer deditus ita se geslit, ut paulo post magnus civis ob singulares virtutes suas consensu omnium haud immerito haberetur. Non multo deinde post plura, ac maxima civitatis munera, egregiosque Magistratus magno cum honore obivit. Nam ut ad gubernacula Reip. se contulit, ad summum civitatis Magistratum, qui Prioratus vulgo nuncupatur, ob admirabiles virtutes suas non immerito assumptus, atque delectus est. Eo quippe tempore Magistratus veteri Romanorum more per electionem suffragiis, non per sortem ut nunc, creabantur. Ad hunc vero magnum dignitatis gradum trecentesimo supra millesimum Christianae Salutis anno delectum fuisse constat. Si itaque ducentesimo sexagesimo quinto supra millesimum humanae Salutis anno natus est,

millesimo deinde post trecentesimo in Prioratu consedit, manifestum est ipsum trigesimo quinto aetatis suae anno ad eam dignitatem assumtum accessisse. Quum igitur hoc suo Magistratu magnum quoddam civitatis dedecus nullatenus tolerare posset, factum est, ut egregii quidam cives, ac sane nobiles eo ipso in primis cooperante urbe exigerentur, atque ut res ipsa clarius appareat, huius relegationis causas paulo altius ab origine repetemus. Longe ante haec ipsa relegationis tempora Florentiae coepitae erant in civitate factiones duae, quarum una Guelforum, altera vero Gibellinorum vulgariter nomine appellabatur, quibus varie inter se invicem conflictatis Guelfarum partium homines adversariis partim relegatis, partim vero, qui remanserant, in calamitatibus constitutis multum admodum praevalebant. Verum enimvero per haec ipsa tempora, quibus Guelfi adeo praevalebant, alia quaedam factio praeter duas paulo ante commemoratas e Pistorio originem ducens hac ipsa Prioratus tempestate per hunc modum Florentiam applicuit. Genus quoddam erat Pistorii prae ceteris egregium, ac sane nobile. Vulgo Cancellarios ab auctore generis nuncupabant. Huius Familiae homines natis primum interfusis discordiis in diversum abire coeperunt. Paulo deinde post quum-

gra-

graves inimicitiae invicem exercearentur, ad civilis tandem sanguinis effusionem utrinque devenere, ex quo universa Pistoriensium civitas bifariam divisa fuit. Vulgo, ut sit, hos Albos, illos Nigros novis nominibus appellabant. Ceterum Florentini id conspi- cati, ac permoleste ferentes tam pulchram, sibique tam finitimatam civitatem in ultimum sui discrimen ob civiles dumtaxat discordias procul dubio deventuram, suscepta eius cu- ra principes factionum urbe amoverunt, a- motosque Florentiam deduxerunt. Haec quidem Pistoriensium deductio primum Flo- rentiam inficere coepit. Paulo deinde post velut quaedam tabes universam paene civita- tem corruptit. Alii namque Albis, alii ve- ro Nigris favebant. Quid verbis opus est? Ex una tandem Guelforum factione duae Florentiae propalam consurgunt, quas in- clytus Poeta noster optimus sane civis pro- pterea sedare admodum cupiebat, quod ad perniciem civitatis, si paulo diutius obdu- ruissent, vel maxime machinari verebatur. Id quum frustra saepe tentasset, statuit de cetero a Reip. muneribus abstinere, ac se- cum privatim in otio vivere, quod postea non fecit victus partim gloriae cupidita- te, cuius suapte natura avidus erat, partim vero aura populari: insuper & precibus a- micorum fatigatus. Dissuadentes enim a

Reip. gubernaculis cessaret, aperte ostendebant ipsum multo facilius publico discordiarum civilium malo posse resistere, si publice, quam si privatim viveret. Proinde Rep. retenta ei demum parti adhaesit, quae plus honestatis habitura videbatur. Quocirca Albis adhaerere non dubitavit. Ita per hunc modum perniciosus civilium discordiarum morbus per universam prope civitatem pervagatus est, adeo ut nulla ferre domus paulo insignior ab hac labe se continere potuerit. Quapropter veriti Guelfarum partium duces, ut ob hanc tam pertinacem inter suos homines dissensionem Gibellinorum factio rursus vires in civitate resumeret, ad Bonifacium Octavum Summum Pontificem confugerunt pie admodum obsecrantes, ut huic nascituro, vel potius iam quasi nascenti malo auctoritate Apostolica mederetur, quod quum Pontifex frustra tentasset, graviores postea contentiones sectae sunt, iamque adeo invaluerant, ut ad arma saepius iretur, atque ea pars civium, qui Nigri vocabantur, adversarios suos in Reip. gubernatione se ipsis longe potentiores conspicati aequo animo hanc adversariorum excellentiam ferre non poterant. Quin immo graviter ferebant, ut ex adversariorum numero omnes civitatis Magistratus ut plurimum legerentur. De quo quidem saepe-

nu-

numero inter se conquesti demum consultandi gratia ad Trinitatis Aedem convenerunt, ubi multis hinc inde varie, ut in ceto hominum plerumque fieri consuevit, agitatis summa tandem consilii fuit, Pontificem adiretur postulatum, ut Principem quemdam Regii generis ad tollendas civiles discordias, statumque civitatis componendum mittere dignaretur. Id consilium, quia privatim de Rep. erat habitum, ubi Priors ex adversae factionis hominibus, qui arma illico sumserant, resciverunt, perinde tulerunt. Dantes autem, qui in numero Priorum erat, praeceteris id consilium indigne ferens de aliquo Principe in urbem evocando, propterea quod ingenio, & eloquentia plurimum poterat, Collegis suadet, uti animum capeffarent, libertatemque civitatis animose admodum defenderent, atque perniciosi illius consilii autores, perinde ac si eorum praesentia civitatis libertas quotidie turbaretur, in primis urbe ipsa expellerent, Id ex eo facile persuadet, quod eius voluntatem, nutumque omnes maxime spectabant. Ita per hunc modum eius consilii autores egregios quosdam homines, atque in primis Cursium Donatum praestantem Equestris Ordinis Virum, & Gerium Spinam, & Giachinoctum Pazium, & Rusium Tosam, aliosque nonnullos Nigrarum partium

duces urbe ipsa exegerunt, exilioque multa-  
runt, & ut in turbulentis civium dissensio-  
nibus plerumque evenire consuevit, non mo-  
do commemorati Nigrarum partium duces,  
sed Albarum etiam quidam principes exi-  
lio damnati sunt. Nam & Gentilis, & Tor-  
rigianus Circuli Equestris Ordinis Viri, &  
Guido Cavalcantes, & Baschiera Tosa, &  
Badinaccius Adimares una cum illis exula-  
runt. Non multo deinde post quum nullus  
discordiarum modus esset, Dantes ipse ad  
Bonifacium Pontificem Orator concordiae  
causa missus est. Ceterum in hac ipsa suae  
Legationis tempestate Cursus Donatus ur-  
bem ingressus iam Florentiam reverterat,  
qua de re paulo post eius redditum Dantes  
ipse, qui sui, quemadmodum supra dixi-  
mus, quasi sola relegandi causa fuerat, va-  
rie fortuna volutante vices una cum quibus-  
dam aliis egregiis civibus in exilium trudi-  
tur ob eam, quam suo Prioratu invidiam  
contraxerat. Nam quum commemorati exu-  
ies Albarum Partium Duces Nigris foris  
dimissis ab exilio revocarentur, hanc ci-  
vium inaequalitatem Bonifacius Pontifex  
perindigne tulit. Hac ergo indignatione  
motus Carolum quemdam Galliae Princi-  
pem Florentiam misit, qui cum ob venera-  
tionem Summi Pontificis, tum etiam ob re-  
verentiam nominis Gallici benigne in urbe  
susce-

susceptus non multo post Nigros ab exilio revocavit , & Albos quoque propter relationem quamdam Petri Ferrantis Satrapis sui urbe ipsa exegit . Is namque tres quosdam Albos summopere ab eo postulasse asserebat , cum Carolo ita ageret , ut pars sua superior in civitate remaneret . Id si faceret , ipsos Pratum oppidum pollicitos fuisse in manu sua tradere praeseferebat . Huius postulationis litteras potentium sigillis ob-signatas demonstrabat , quae cum aliis quibusdam publicis scriptis etiam nunc temporibus nostris in Palatio Florentiae visuntur . In hac Alborum relegatione quamquam Dantes Orator ad Summum Pontificem civilis concordiae causa legatus esset , ob infausta tamen Prioratus sui comitia , ut ipse quodam loco dicit , exilio per iniquissimam quamdam , ac perversissimam legem , damnatus est , qua cavebatur , ut Praetor urbanus de erratis quondam in Prioratu perpetratis eti absolucione praecessisset , cognoscere tamen , & punire teneretur . Hac ergo lege Dantes citatus quum non compareret , exilio , & proscriptione damnatur . Quocirca Plebs ipsa novarum rerum cupida paucis post diebus ad domos nuper relegatorum diripiendi causa concurrit . Vnde urbanas eorum aedes paene vacuefecit , praedia vastavit , singula denique ipsorum bona vel

in aerarium redacta, vel certe victoribus condonata. Sed utinam Florentia mater scelestum hoc facinus nunquam perpetrasses, ne in tantam, ac tam singularem ignominiae notam perpetuo incidisses. Hoc equidem Poetae tui exilium tibi, ac nomini tuo tam infame, tamque ignominiosum nequeo pro virili mea etiam nunc aequo animo tolerare. Sine itaque: hoc loco me diutius contine-re non possum, quin vehementer exclamem ut ait ille, parce precor Florentia mater. O stultas hominum mentes ! O ingratas ci-vium contentiones ! O iniustas mortalium actiones ! Quid consequi putabas Florentia parens, si tantum, ac tam singularem Poe-tam praestantem civem tuum, atque de te optime meritum in exilium egisses ? Glo-riam, & honorem, si loqui posses, te di-eturam arbitrarer . Atqui vide etiam, at-que etiam considera: tametsi haec tua prae-sens consideratio nihil prodesse possit, quo-minus tuum illud gloriosum nomen per uni-versum paene Terrarum Orbem dedecora-tum esse videatur. Vide inquam, quam haec tua gloria cogitatio inanis, frivola, ac va-na extiterit. Tantum enim abest, ut ex hoc tuo Poetae exilio gloriam consequaris, quod maxima, incredibilique ignominia apud o-mnes Orbis Terrarum nationes non iniuria-notata esse videaris. At fortasse dices: ci-vilium partium studia haec, atque huius-

mo-

modi facinora perpetrare consueisse: quod pace tua dixerim quantum ad hoc exilium spectat, verum esse non puto. Nam & generosum civem, & summum Poetam, & de patria optime meritum perpetuo exilio mulctatum neque apud domesticas, neque etiam apud extereras nationesullo unquam tempore legisse memini. Quin immo domesticae, exteruaeque nationes Poetas suos non modo patria non expellebant, quin immo tanto in honore apud omnes sacrum, ac venerandum Poetae nomen habebatur, ut peregrinos, exterosque Poetas & viventes saepenumero civitate donarent, & mortuos quoque civitatis insignibus condecorarent. Nam ut inquit Cicero in ea, quam pro Archia Poeta oratione habuit; Homerum Colophonii civem esse dicunt suum, Chii suum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnaei suum esse confirmant. Itaque etiam delubrum eius in urbe dedicarunt. Permulti alii praeterea pugnant inter se, atque contendunt, quod etiam Graeca cuiusdam Poetae carmina aperte declarant. Nam has septem praeclaras Graeciae civitates Samon scilicet, Smyrnas, Chion, Colophona, I.on, Argon, & Athenas de Homeri origine diutius inter se contendisse testantur, in quo quidem hi Graeciae Populi Platone suo, pace tanti Philosophi dixerim, longe melius iudi-

iudicarunt. Hic enim in Politia, quam finxit, Poetas & vivos, & domesticos censet urbe pellendos: illi vero & alienos, & mortuos, civitate donandos multo rectius putaverunt. Sed haec Graeci: forsan dicet quispiam. Quid Romani maiores tui postquam omnium doctrinarum genere valuerunt? Nonne Archiam Antiochensem, pro quo existat pulchra Ciceronis oratio, ob id solum, quod summus Poeta erat, civitate donarunt, permultosque alios egregios Poetas exteris, atque alienigenas, ut arbitror, sua civitate decorarunt? Quod si praestantes Graeciae civitates fere omnes Homerum quamvis alienum, quia tamen Poeta erat, etiam post mortem tantopere repetiverunt, ut de eo habendo certatim inter se contenderent, & Romani maiores tui alienigenas Poetas civitate donarunt; quonam modo tu Florentia parens hunc tuum Poetam tam egregium, tamque praestantem, qui & vetusta origine, & singulari quadam erga te caritate tuus erat, ita repudiare potuisti, ut eum perpetuo exilio mulctares? Sed haec satis praesertim nunc, quum nullam utilitatem possunt afferre, quominus semper ob id tam infame Poetae exilium dedecorata esse videris. Ea exilii tempestate forsan perutilia fuissent, ne ipse insons magno cum Florentini nominis dedecore in exilium ageretur.

tur. Ceterum quandoque facta infecta fieri non possunt, saltem quod nunc est in te, civis equidem tuus ut facias etiam, atque etiam rogo. Sacra Poetae tui ossa tandem aliquando ab exilio revoca, ubi ipsum multos annos postea viventem ab exilio nunquam pertinaciter nimis revocare voluisti. Quod si feceris, non modo aliqua ex parte infamia levaberis, sed gloriam etiam, & honorem ex hac tua sacrorum cinerum revocatione nimirum consequeris. At si haec te consecuturam forte haudquaquam arbitraris, illud profecto assequeris, ne id tibi unquam de tuo summo Poeta merito obiici possit, quod Romanis Scipio Africanus exilio indignissime mulctatus non immerito obiecisse fertur. Quamquam enim multa egregia pro Romana Rep. facinora edidisset, atque Hannibalem ipsum Romanorum ante victorem glorioius superasset, postremo Carthaginem Romani Imperii aemulam dictioni Romanorum subactam glorioissime delivisset, ob magnorum tamen gestorum suorum invidiam perpetuam singularissimarum virtutum comitem iniquissime in exilium actus esset, in haec verba indignabundus ad extremum vitae prorupisse traditur. Ingrata Patria, non habebis ossa mea, & quae sequuntur. Sed redeamus, quandoquidem nostro erga te officio functi esse videmur,

un-

unde digressi sumus. Summus igitur Poeta (o scelus indignum!) quamquam Romae ad Summum Pontificem Florentini Populi nomine civilis concordiae causa Legatus esset, exilio tamen iniquissime damnatur. Proinde illinc abiens Senas contendit Ibi de calamitate sua certior factus quum omnes redeundi in patriam aditus post aliquot annos interclusos animadverteret, ceteris exulibus haerere statuit. Itaque cuncti exules Gargonsae congregati sedem Arretii constituerunt. Ibi Ducem belli Alexandrum Romenae Comitem delegerunt, duodecimque Consiliarios gerendis rebus praefecerunt, ex quorum numero Dantes fuit, atque per hunc modum spem suam in patriam revertendi in dies perpetuo pascebant, donec magna complicum manu comparata redditum enixe tentarent. Ingenti etenim multitudine non modo exulum, sed familiarium etiam ex Bononia, & Pistorio congregata urbem incautam subito aggrediuntur. Si quidem unam eius portam animose arripientes urbem intrarunt. Ad extremum tamen superati insalutato, ut dicitur, hospite exinde fugientes recesserunt. Dantes autem ob hos irritos exulum conatus spe redeundi amissa ex Arretio Veronam se contulit, quo in loco ab Alberto Scala Veronensem Principe benigne admodum receptus aliam  
re-

revertendi viam tentare statuit. Nam benigne , & humane erga Populum Florentinum se gerens per spontaneam revocationem in patriam remeare quaerebat. Quocirca in hoc proposito perseverans complures epistolas & ad privatos cives , & ad populum conscripsit . Principium epistolae ad populum scriptae huiusmodi est : *Popule mee quid tibi feci?* & quae sequuntur &c. Bononiām postea perrexit . Ibi et si parum commoraretur , philosophiae tamen operam dedit . Patavium deinde contendit . Inde rursus Veronam repetens variis cogitationibus ob multiplies exilii curas agitabatur . Postea vero quam undique sibi interclusam reversionis suae spem , atque in dies inaniorum fieri animadvertisit , in gratiam rursus cum libris , ut inquit Cicero , redire statuit , cum quibus primum tot annos ob Reip. gubernationem , ob civiles deinde discordias , ob varias denique exilii curas diuturnum bellum iampridem indixerat . Proinde non Etruria solum , sed universa quoque Italia derelicta in Parisiensium urbem studiorum dumtaxat gratia se contulit , quippe in hoc loco humanarum , & divinarum rerum studia ceteris Orbis Terrarum locis celebratoria consensu omnium ferebantur , ibique ceteris omnibus posthabitatis naturarium , ac divinarum rerum studiis assiduam ,  
& pae-

& paene incredibilem operam navavit, in quibus usque adeo profecit, ut in frequentissimis memoratarum rerum disceptationibus pro more civitatis & magnos quidem Philosophos, & quos etiam Theologos vocant, una voce omnium saepenumero superaret. Dum itaque in huiusmodi humanitatis studiis quietissime simul, atque securissime viveret, ecce nova quaedam cogitatio, ut est natura nostrarum rerum fragilis, atque caduca, subito irrepit, quae quidem sua haec pertranquilla, ac divina studia importune admodum perturbavit, atque pervertit. Henricus enim nuper ad Imperium legitime delectus, Imperatorque populorum paene omnium consensu Augustus appellatus e Germania abiit Italiam infesto exercitu petiturus, quem ubi Dantes iam Italiam intrasse, Brixianque non parvam citerioris Galliae urbem ingentibus equitum, ac peditum copiis obseditse accepit, tempus opportunum sui reditus venisse ratus statuit rursus Italiam repetere. Quamobrem una cum pluribus & Guelfarum, & Nigrorum partium infestis hostibus Alpibus superatis Henrico quoquomodo suadere nitebatur, ut Brixiae obsidione omessa Florentiam faustis exercitibus suis peteret. Id propterea facile impetrasse visi sunt, quod

Henri-

Henricus ab initio suae electionis Legatos Florentiam miserat , ut eius in Italiam adventum Florentinis nunciarent , postularentque , ut in urbe sua receptaculum sibi praepararent , ac bello , quod tunc adversus Arretinos forte gerebant , se abstinerent . Haec Legatio quamquam benigne admodum publice , ut ab eis efflagitatum fuit , audita esset , quantum tamen ad sua postulata pertinere videbatur , spreta , ac neglecta est . Huius rei hac ipsa tempestate memor Henricus Florentinorum exulum variis persuasionibus cedere constituit . Quocirca Brixiae obsidione penitus omissa Florentiam versus ire contendit . Per Ligures igitur iter faciens , Tyrrhenumque Mare ingressus cum triginta navibus longis Pisas devenit , atque inde Romanam versus , ut Imperii coronam assumeret , iter arripuit . Quoniam vero propter multiplices Reip. discordias recta ire non dabatur , Viterbii commoratus est , atque inde postea Romam petens Urbem tandem intravit , ibique , tametsi ab adversariis Imperatorii nominis acerba proelia commissa essent , demum adversariis enixe repugnantibus Imperii coronam assumpsit , in cuius quidem assumptione Robertus inclytus Siciliae Rex , ac Florentini in primis sibi admodum repugnaverant . Corona itaque Imperii per hunc modum assumta hanc

adver-

adversariorum repugnantiam perindigne-  
ferens paulo post Tibur se contulit. Erat e-  
nim Imperatoris animus in adversarios pro-  
illatis sibi Romae impedimentis vehemen-  
ter infensus. Sed praecipue in Robertum  
Siciliae Regem , ac Florentinos utpote e-  
gregios suorum impedimentorum principes  
atdebat animus. At quum e vestigio Rober-  
tum haud facile ulcisci posset , in Florenti-  
nos conversus per Sabinos , & Vmbros iter  
faciens Etruriam ingreditur . Per Perusinum  
inde , & Cortonensem , & Arretinum agrum  
ducens Florentiam usque perrexit , castris-  
que prope Salvianum Templum positis non  
longius ab urbe trecentis fere passibus infe-  
stissimis exercitibus Florentiam obsedit .  
Ad eum ergo ita prope urbem castrameta-  
tum universi Florentinorum exiles undique  
confluebant . Proinde Dantes quoque se ul-  
teriorius continere non potuit , quin spe ple-  
nus epistolam quandam ad Florentinos , ut  
ipse vocat , intrinsecos contumeliosam fane  
scriberet , in qua eos acerbissime insectatur ,  
quum ante hac de ipsis honorificentissime  
loqui solitus esset . In hac autem Florenti-  
nae urbis obsidione Henricus complures dies  
commoratus crebra cum Florentinis proelia  
committebat . Sed quum ab ipsis frequentibus  
proeliis lacefitis totiens egregie admodum  
repugnaretur , peracto demum nihilo me-  
mo-

moratu digno Romam rursus repetere statuit. Verum in hac sua itineratione ad Bonconventum quoddam Senensium oppidum divertens ibi e vita decessit. Quocirca exules, qui Henricum viventem sequebantur, de suo in patriam reditu post mortem eius omnino desperantes destituta prorsus omni revertendi spe novas sibi fedes varie pro hominum ingeniis perscrutabantur. Dantes itaque Apennini montibus superatis Flaminiam contendit. Ea forte tempestate Guido Novellus Ravennae ceterarum urbium eius Provinciae vetustissimae praesidebat Vir in omni doctrinarum genere prae ceteris Principibus eruditus. Hic pro sua quadam erga doctos homines benignitate eruditissimos viros summe colere, & observare solebat. Vbi ergo Novellus hunc praestantem Poetam, cuius maxima fama non Italiam solum, sed universum etiam paene Terrarum Orbem iam peragraverat, Flaminiam accessisse accepit, statuit hominem Ravennam, ut secum familiariter viveret, quovis modo benevole, & amice accersire. Quamobrem ipsum de hoc suo vehementer desiderio seu per epistolas, seu per Legatos certiorem fecit rogans etiam, atque etiam, ut secum, quandoquidem in patria habitare non dabatur, vitam degere nequaquam negaret, quod ut facilius ab eo

C

impe-

impetraret, non modo, ut ait Terentianus ille, montes aureos pollicebatur. Haec autem ubi Dantes cognovit, conspicatus magnanimi Viri generosum animum confessim se Ravennam contulit, ut tam digno Principi quamprimum obsequeretur, atque secum omissa omni ad patriam redeundi spe perpetuo familiarissime degeret. Ravennae ergo a Novello per hunc modum benignissime receptus aliquot annos permoratus est, donec ad ultimum vitae suae diem pervernerit. Nam Ravennae cum obiisse constat, quo in loco, & tempore rursus cum libris in gratiam rediens partim legeado, partim etiam cogitationes suas litteris mandando humanitatis studia retenta semper animo temporibus, ob multiplices variarum rerum curas intermissa magna cum diligentia minum in modum usque ad extremum vitae prosecutus est. Quod si quietiora, & tranquilliora, non autem fluctuantia, & procellosa studia divinus Poeta habuisset, qualis, & quantum Virum futurum coniectura augurari possumus, quandoquidem ipsum tot magnarum rerum curis impeditum ad summum omnium doctrinarum cumulum ex celebratoriibus scriptis suis pervenisse luce clarius appetet. Ravennae igitur, ut supra diximus, complures annos reliquum vitae suae tempus commoratus nonnull-

nulos sane homines , egregiosque Viros Poeticam egregie prae ceteris edocuit , compluresque egregios praestantis ingenii Viros materno sermone ita eruditivit , ut nonnulli ex his vulgares , ut aiunt , non vulgares Poetae haberentur . Hanc suam materni sermonis Poeticam hic noster Poeta primus apud Italos perpaucis ante annis adinventam uno paene omnium consensu non secus nobilitavit , quam aut Homerus Graece apud Graecos , aut Virgilius Latine apud Latinos quondam suam quisque apud suos illustraverit . Hic enim primus in hac sua Poetica Florentino idiomate prae ceteris egregie admodum nobilitato magnam humanarum , & Divinarum rerum cognitionem una voce omnium tradidisse prohibetur , quum prius levia quaedam , frivolaque dumtaxat gravioribus omissis vulgares Poetae suis carminibus prodidissent . Hanc quoque magnam tantarum rerum gravitatem singulari quodam , ac paene incredibili dicendi lepore in hoc suo divino Poemate mirabiliter condivit . Talia igitur , & huiusmodi agentem , ac meditantem mors importuna praevenit , de qua prius quam dicere incipiam , non alienum fore putavi ea summatim exponere , quae ad eius formam , habitum , cultum , & mores pertinere videantur . Fuisse traditur in

clytus hic Poeta mediocri, & decenti Statura, facie paulum oblonga, oculis paulo grandioribus, naso aquilino, latis, pandentibusque maxillis, inferiori labio aliquantulo quam alterum super eminentiori, colore fusco, capillis, ac barba prolixis, nigris, subcrispisque, de quo quidem si quis etiam rerum minimarum nimium curiosus forte dubitaret, paucis accipiat, quid ob hanc ipsam capillorum, & coloris qualitatem sibi Veronae tunc commoranti accidisse memoriae prodiderunt. Quadam namque die urbem perambulans prope ianuam cuiusdam domus forte pertransibat, ubi nonnullae matronae pro more civitatis confederentes confabulabantur, quarum una, ubi Dantem pertransiuntem consperxit, confestim ad alteram propiorem conversa: vide, inquit, vide hominem, qui ad Inferos proficiscitur, indeque Vmbrarum illic assidentium nova ad vivos refert. Iam enim fama primae partis suae Comoediae percrebuerat. Ad hanc ita loquentem illa suo sermone lacesita subito insulse nimis, ac muliebriter, ut solent, in hunc modum respondisse fertur. Vera, soror, narras: siquidem barba eius subcrispa, & alter color propter obscuriores quendam Inferorum colorem, nebulosumque fumum sententiam tuam veram esse aperte testantur.

tur. Incessu insuper gravis, severus, tristis, semperque cogitabundus erat. Proinde subcurvus provecta aetate aliquantulum incedebat. Sunt, qui dicant ipsum gratioris aspectus fuisse. Ceterum eius effigies & in Basilica Sanctae Crucis, & in Capella Praetoris Urbani utrobique in parietibus exstat ea forma, qua revera in vita fuit, a Giotto quodam optimo eius temporis Pictore egregie depicta. Induebatur etiam, antequam exularer, mediocriter, non speciose admodum, ut tanti Viri gravitatem decere vel maxime videbatur. Ea enim tempestate patrimonium non modicum possidebat. Nam & domos splendidas Florentiae, & aliquot praedia urbis moenibus finitima variis in locis habebat. Cibi, potusque parcissimus erat. Delicatos laudare solebat: grossioribus plurimum vescebat. Ventri deditos, quos Gastrimargos Graeci vocant, vehementer obiurgabat. Etenim ex illa veteris cuiusdam Sapientis sententia eos, qui talia agerent, potius vivere, ut essent, quam esse, ut viverent, diétitare consueverat. In adolescentia vero sonis, cantibusque usque adeo oblectabatur, ut cum eius temporis peritioribus artis musicae magistris frequentius conversaretur, quorum nimirum summa quadam voluptate allectus, atque exhilariatus Florentino idiomate, & soluta ora-

tione, & carmine multa egregie compo-  
suit, quo quidem dicendi genere non so-  
lum ceteros omnes, pace cunctorum dixe-  
rim, facile superavit, sed posteros prae-  
stantis ingenii Viros quadam incredibili di-  
cendi suavitate, & copia imitandi tam  
suave loquendi genus percupidos accumu-  
latissime reddidit. Lascivis amoribus ali-  
quantulum obnoxius plus induluisse visus  
est, quam Viro Philosopho convenire vide-  
retur, quod equidem potius gratiosae ho-  
minis naturae, quam cuidam gravissimi  
Viri levitati mea sententia adscribendum  
non iniuria putavi, ut de Socrate Philo-  
sophorum omnium severissimo scriptum  
esse constat. Quin in libidines proniorem  
fuisse nonnulli memoriae prodiderunt. Quum  
enim ab egregio quodam illius temporis  
physionomo, qui ex habitu, & forma cor-  
poris animorum motus, & perturbationes  
se intelligere, & demonstrare profitebatur,  
ipsum libidinibus obnoxium iudicatum es-  
set, admirantibus cunctis, cachinnationibus  
que suis physionomum deridentibus Socrates  
dixisse fertur huiusmodi physionimi de-  
se iudicium verum extitisse, afferens se na-  
tura ad libidines proniores: magna tamen  
modestia non solum illam inclinationem  
naturalem temperasse, sed penitus viciisse, ac  
superasse. Raro, nisi interrogatus loquebatur,  
id-

idque non temere , sed ab infimo , ut a-  
iunt , pectore longe ante praemeditata ede-  
re videbatur . In cognitione rerum ita ,  
vigilantissimus erat , ut in mediis viis non-  
nunquam lectitare consuesceret . Quocirca  
helluo libri , quemadmodum de Catone  
scribit Cicero , non immerito appellari po-  
terat . Ut enim Cato , quamvis Vir gravif-  
simus , ac sapientissimus esset , in ipsa ta-  
men Curia quandoque legere consueverat ,  
antequam Senatus cogeretur ; sic iste Vir  
singularissimus in mediis , ut aiunt , viis  
interdum lectitabat . Nam quum ei libellus  
quidam non antea a se visus Senis prope  
cuiusdam opificis tabernam forte oblatus  
esset , ita cupide , & attente lectitavit ,  
ut suavissimi , variique multiplicium in-  
strumentorum soni ab eius perpetua lectio-  
ne vel paulisper dimovere nunquam po-  
tuerunt , quin totum legendo percurreret ,  
tametsi eo tempore forte dies festus pro  
more civitatis universo Populi concursu  
omni cum consonantium instrumentorum  
genere prope eum locum , ubi legebatur ,  
speciosissime celebraretur . Est , quod mira-  
bilius videri debet : interrogatus enim ,  
quoniam modo se unquam continere po-  
tuerit , quin tam celebre , ac tam solemne  
Festum prae oculis celebratum aliquantisper  
saltum non coquspexisset , nihil se audisse .

sane respondisse fertur. Elegantissimum, in orando fuisse perhibent, quod frequentes eius Legationes ad multos cum illustres Principes, tum ad Summos Pontifices manifeste declarant. Ad haec accedit, quod perinde ac Semiprinceps quidam in Rep. ob summam eius elegantiam regnare videbatur. Fuit praeterea & acerrimi ingenii, & fidelissimae memoriae, quorum complura testimonia afferre possem, si liberet. Sed nimium prolixitatem veritus uno solo, & eo quidem peregregio testimonio contentus ero. Parisius forte aderat, quo se post Federici Augusti obitum, ut antea diximus, mox retulerat, ibique in magna excellentissimorum Virorum turba solus cum ceteris de rebus Divinis altissime simul, atque subtilissime disputabat. Proinde quum multa, ac inter se diversa super variis de rebus altissimis questionibus numero, ut ferunt, quatuordecim adversarii in medium adduxissent, omnia singillatim eo ordine, quo proposita fuerant, non sine singulari quadam omnium admiratione & fideliter replicavit, & admirabilius persolvit. Honoris insuper, & gloriae cupidior fortasse fuit, quam tanto, ac tam gravi Philosopho convenire videretur. Sed & magni Philosophi, & severi etiam Theologi a naturali gloriae cupiditate ob rei quandam incredibilem, ut aiunt, sua vita-

vitatem se abstinere non potuerunt , quam-  
quam multa de contemnenda gloria libris  
suis memoriae mandarint . Hac ergo gloriae  
cupiditate natura hominibus insita Poeta-  
noster inflammatus prae ceteris , ut arbitror ,  
Poeticam adamavit . Etenim Poetae boni  
ea tempestate , quam aut Philosophi , aut  
Mathematici , aut denique Theologi lon-  
ge pauciores erant , quod etiam antea a  
conditione Orbis Terrarum usque ad haec  
nostra tempora repetitum fuisse constat .  
Semper enim Poetae boni , & Oratores pau-  
cissimi fuerunt . Laurea insuper Poetae , Cae-  
saresque vetusto Graecorum , Latinorum-  
que more per ea adhuc tempora coronari  
consueverant . Huius quidem Laureac , de  
qua loquimur , se cupidissimum fuisse non  
modo ipse non inficiatur , sed pluribus quo-  
que suorum scriptorum locis saepenumero  
manifeste testatur , quod sibi profecto non  
immerito contigisset , ut Laurea corona-  
sua tempora insignitus fuisse , si ullo un-  
quam tempore ab exilio revocatus esset .  
Sed in exilio degens Lauream , quam tanto-  
pere cupiebat , suscipere non iniuria mea  
quidem sententia neglexit . In hac Poetica  
quantum ipse valuerit , longe facilius iu-  
dicari , quam plane explanari posse credi-  
derim , quippe Poeticam diu antea per no-  
ningentos circiter annos vel demortuam ,  
vel

vel sopitam summus hic Poeta primum in lucem excitavit , iacentemque , ac prostratam ita crexit , ut vel ab exilio per eum revocata , vel postliminio reversa ; vel e tenebris in lucem excitata fuisse videbatur , quum iampridem tot annos demortua iacuisset , ac non solum primum eam in lucem excitavit , sed cum sana , Catholicaque nostrae Fidei doctrina convenire mirabiliter demonstravit , perinde ac veteres Poetæ divino quodam Spiritu afflati fuisseat , ac sanam , & veram doctrinam cecinissent . Propter hoc , quod Divinus Poeta , illud effecit , ut non modo eruditissimis Viris , sed plebeis etiam , & idiotis , quorum plena sunt omnia , velata poemata , placerent , ne hi , qui ad eloquia Latina aspirare non possent , Poeticæ omnino expertes essent . Fuit praeterea & generosi , & alti animi . Nam quum ad patriam remeare cuperet , propterea tamen reverti noluit , quia ab unico redeundi remedio ob solam animi magnitudinem suapte natura abhorrebat . Quidam namque eius amici pri-  
mum , quia ipsum unice adamabant , deinde ut sibi frequentius oranti obsequerentur , suam in patriam reversionem apprime exoptabant , ac propterea cum nonnullis Principibus civitatis de hoc ipso diligentius pertractaverant , omnemque eorum pertractatio-  
nem

nem penitus irritam fore apparuerat, nisi ipse magnum quoddam dedecus submissemis, & abiectione subiret. Id huiusmodi esse videbatur, ut primum multum admodum mansuesceret: a suis deinde adversariis summis precibus veniam peteret. Ad publicos quoque carceres per aliqua temporum curricula commorandi gratia se sponte conferret. Ad haec omnia extrema insuper accedebat, quod exactis eorum temporum curriculis e carceribus postea liberatus in Cathedralis Florentinae urbis Basilica, ceu in magnis civitatis Solemnitatibus, quemadmodum de praedictis hominibus fieri consuevit, Immortali Deo solemniter offerretur. Ceterum ubi ipse de his omnibus ab amicis certior factus est, nunquam adduci potuit, ut tanta, & tam intoleranda abiectionis onera ferre, pateretur, quinimmo id ipsum usque adeo perindigne tulit, ut mori in exilio, quam tam ignominiose in patriam redire maluerit. Arrogans aliquantulum fuisse perhibetur, quod ipsum tunc vel maxime declarasse dicunt, quum Bonifacius Summus Pontifex per id temporis Gibellinorum exulum precibus fatigatus Carolum quemdam vel Philippi Francorum Regis fratrems, vel potius propinquum ad componendum civitatis statum mittere constituerat.

rat. Quod Guelfarum partium Duces, qui ea tempestate Rempublicam gubernabant, permoleste ferentes consultandi gratia con-  
venerunt. Summa consilii fuit, ut aliquot Legati ad Bonifacium mitterentur, cuius Legationis Princeps universo omnium con-  
sensu ex eo Dantes designabatur, quod ce-  
teris ingenio, & eloquentia praestabat. Id ubi ipse advertit, dixisse fertur: Si sententiae vestrae, ut par est, acquievero, in-  
iunctaeque Legationis munus vobis obtem-  
peratis obiero, quis ad Reipublicae guber-  
nationem remansurus est? Sin minus, quis  
huius Legationis dignus Princeps, & ca-  
put erit? Sed ea, quae materno sermone di-  
xisse perhibetur, lepidiora sunt. Haec, &  
huiusmodi eius verba ad singularem quam-  
dam hominis arrogantiam vulgo omnes ad-  
scribunt. Verum si paulo diligentius &  
res ipsa, & tempora, ut decet, pensita-  
buntur, vel ex magna Reipublicae carita-  
te, vel ex altitudine quadam animi fortas-  
se ab eo dicta verisimilius accipi poterunt.  
Nam si quis etiam atque etiam conside-  
rarit, quanta, & quam varia mala pesti-  
fera civilium partium studia iampridem  
Florentiam intulerant, si deinde postea ani-  
madvertet, Dantem in suo illo praecla-  
ro Prioratu nonnullos magnae auctoritatis  
Viros ob cuiusdam Principis evocationem  
rele-

relegandi, ut supra diximus, auctorem extitisse, si denique eo spectare Pontificis decretum excogitaverit, ut adversariarum partium exules ab exilio revocarentur, mirari fortasse desinet. Quin immo haec eius verba, quae quibusdam parum momenta temporum, ut par est, considerantibus tumida nimis videri solent, in bonam partem ab eo prolata fuisse censemus. Complura volumina bifariam conscripsit, quorum quaedam materno, quaedam vero Latino sermone composuit. Materno quoque partim florenti, partim autem provecta aetate edidisse manifestum est. Nam praeter solutos quosdam rythmos, compluresque solutas cantilenas adolescens duo egregia opera litteris mandavit. Horum alterum *Vita Nova*, alterum vero *Convivium* inscribitur, in quibus quidem opusculis claras quarumdam cantilenarum suarum expositiones congregavit. Provecta deinde aetate suum illud divinum potius, quam humanum *Comoediae Poema*, tametsi Latine heroicis carminibus primum ab initio in hunc modum incepisset:

*Vtima Regna canam fluido contermina.*

*Mundo &c.*

& quae sequuntur, ac satis eleganter plurima Latina carmina processisset, quum postea non recte principiis reliqua convere viderentur, genere dicendi permutato rursus

rursus ab initio resumens materno sermo-  
ne egregie inchoavit , atque elegantissime  
absolvit. In hoc divino , ut dixi , Poemate  
non modo poetica ipsa , & quae proprie ad  
Poetas pertinent , sed moralia quoque , & na-  
turalia , ac divina ingenti legentium admira-  
tione concessit . Quocirca quinque supra vi-  
ginti circiter annos huiusmodi opus scri-  
psit , atque emendavit , quippe antequam  
exularet , iam septem eius Comoediae cantus  
expleverat , quos Graeci Odas appellant .  
Eiusmodi cantus quamquam in direptione ,  
& depraedatione domus suae una cum  
multis aliis libellis , chirographisque inter-  
magnam quamdam suorum librorum con-  
geriem in penitiori parte aedium abstrusi  
fuisserent , sedato tamen paucis post diebus  
populi furore non dedita opera in hunc  
modum reperti fuisse dicuntur . Quim enim  
uxor eius de chirographo dotis suae solli-  
cita esset , ad quaerendum idoneum quem-  
dam virum adhibuerat . Hic quum inter il-  
lam librorum , & chirographorum conge-  
riem , quam reconditam fuisse diximus ,  
de dotis chirographo diligenter quaereret ,  
inter quaeritandum oblatus est libellus  
quidam , in quo septem illae memoratae  
odae continebantur , quas quum legeret ,  
novitate rei admiratus domum suam aspor-  
tavit , ibique saepe numero lectitans mira  
qua-

quadam legendi suavitate exhilaratus ad Poetam exulanten denuo transmisit, quos cantus Poeta postea prosecutus subsequenti oda his verbis manifestissime expressit. Equidem prosequens inquit, & reliqua. Non multis deinde ante mortem suam diebus ultimas manus divino Poemati imposuit, absolvitque. Id ex eo constat, quod post obitum suum mirabilia quaedam contigisse dicitur, quae hoc ipsum apertissime declararunt. Nam quum scripta quaedam, in quibus aliquot ultimi Paradisi cantus continabantur, nondum integro volumini apposuisset, sed in quodam occulto aedium loco abscondisset, ut forte opportunum componendi tempus praestolaretur, ac per hunc modum opus imperfectum appareret, ecce umbra defuncti Poetae Iacobus cuidam ex filiis suis maiori natu, & in primis de imperfectione operis sollicito, atque anxio in somnis apparuisse fatur, qua quidem visione filium admonitum fuisse dicunt, ubi illa ultimae Co moediae scripta abstrusa laterent, ac per hunc modum ab eo postea summo mane quæsita, ut in somnis fuerat admonitus, tandem adinventa fuisse. Sed quorundam haec tam de eiusmodi somniis dicet quispiam? Ut luce clarius appareat id, quod paulo ante expressimus, viginti quinque

cir-

circiter annos illud divinum Poema fuisse absolutum, atque emendatum. Nam si Poeta ante exilium suum illas Odas perfecerat, & ultimo vitae suae anno exularet, obiretque LVI., constat ipsum per tot fere annos, quos supra expressimus, absoluisse. Nam aliquot annos in septem illarum odarum absolutione consumpsisse credendum est. In Latino vero sermone nonnulla insuper opera composuit. Etenim praeter multas eius epistolas Bucolicum carmen scripsit. Soluta quoque oratione praeclarum quoddam opus edidit, quod Monarchia inscribitur. Id in tres libros ob tria pulcherrima quaesita speciosissime distinxit. In primo namque eius operis libro more diale&ticō differens perscrutatur, an ad bonum Orbis Terrarum statum unius Dominatus, qui Monarchia Graece appellatur, necessario requiratur. In secundo vero, an Populus Romanus hunc unius Dominatum sibi non iniuria adsciverit. In tertio denique, an eiusdem Dominatus ab solo Deo, vel ab aliquo eius Ministro dependere videatur. Ob hoc tam singulare opus, propterea quod adversus Romanę Ecclesiae Pastores editum esse videbatur, paene haeresi, ut magnus quidam legum Interpres manifeste testatur, damnatus fuisse dicitur. His igitur omni-

omnibus, ut diximus, egregie admodum peractis quinquagesimo sexto aetatis suae, trecentesimo autem, & vicesimo primo supra millesimum Christianae Salutis anno Ravennae obiit. Hanc mortis suae causam nonnulli extitisse tradidere. Quippe Veneti adversum memoratum Novellum Ravennatum Praesidem bellum gerebant. Quocirca factum est, ut ab Novello ob singularē quandam Viri elegantiam ipse ad Venetos Orator mitteretur. Vbi ergo Venetias applicuit, Oratoris officio accurate fungi cupiens postulavit, ut sibi publicum auditorium preeberetur. Id quum saepenumero frustra tentasset, plane animadvertit ob siogulare quoddam, & ardens Venetorum in Novellum odium omnes conatus suos tandem aliquando ad nihil um evasuros. Proinde re infecta quamprimum Ravennam redire statuit. Verum iter maritimum veritus, quod a Praefecto magnae Venetorum Classis Mare ea parte, qua Ravennam ibatur, vehementer vexari acceperat, terrestre iter assumisit. Quo quidem itinere cum ingenti animi sollicitudine, quod irrita omnino sua Legatio extitisset, tum quoque ob varia, ac multiplicita terrestris itineris incommoda febris, antequam Ravennam ingredieretur, hominem repente invasit, a qua usque adeo acerbe

D

ver-

vexatus est, ut paucis post diebus e vita decederet. Huiusmodi ergo fuit praeclarus Poetae finis. Sepultus est Ravennae in sacra Minorum Aede egregio quodam, atque eminenti tumulo lapide quadrato ex amissim constructo, compluribus insuper egregiis carminibus inciso, insignitoque. Epitaphium ab initio huiusmodi in quadrato sepulchri lapide incisum fuit:

*Theologus Dantes nullius dogmatis expers,  
Quod foveat clara Philosophia finu.*

Et quae sequuntur. Quum deinde postea sex dumtaxat carmina longe prioribus illis elegantiora a doctissimo quodam Viro edita essent, veteribus e tumulo abolitis nova haec incisa fuerunt carmina. Huiusmodi sunt:

*Iura Monarchiae, Superos, Pblegetonta,  
Lacusque*

*Lustrando cecini, voluerunt fata quo usque:  
Sed quia pars nostri melioribus edita  
castris,*

*Auctoremque suum petiit felicior astris,  
Hic claudor Dantes patriis extorris aboris,  
Quem genuit parvi Florentia mater  
amoris.*

Iannotti Manetti Vita Dantis Poetae  
Florentini feliciter explicit.

IAN-



# IANNOTII MANETTI

VITA FRANCISCI PETRARCHAE

POETAE FLORENTINI.

**F**ranciscus Petracchi cuiusdam Scribae filius cognomento Petrarcha a Petraccho Patre R littera sive euphoniae, sive potius, ut quibusdam placet, amplificandi nominis sui causa interposita trecentesimo quarto supra millesimum Christianae Salutis anno illucescente vigesimae diei Quintilis mensis aurora Arretii natus est in vico quodam, qui vulgo Horti vicus dicitur. Hac forte die eadem fere nativitatis suae hora exules Florentini Populi, qui iam pridem patria extorres se Arretium, Bononiamque contulerant, contractis undique auxiliis ad portas Patriae, si qua fors fuisset, ulciscendi gratia certatim contendebunt. Haec enim omnia ipse in epistola  
D 2                   qua-

quadam ad Ioannem Boccaccium manifeste testatur. Vetusta eius origo supra Parenzum quendam avum suum ab Ancisa propinquuo Florentinorum oppido repetita traducitur. Petracchus igitur pater quamquam Ancisae oriretur, Florentiae tamen habitavit, ubi prae ingenii excellentia, ac singulari linguae elegantia ad magnos Italiae Principes primum Florentini Populi nomine pro arduis rebus Oratoris officio elegan-  
tissime usus est. Scriba deinde ad Magistratum Reformationum ex magno eiusmodi hominum numero ceteris omnibus non iniuria ob ingenii acrimoniam, & linguae ele-  
gantiam praepositus ipse unus deligitur, quo in Magistratu tametsi aliquot annos of-  
ficio diligenter, atque integre fungeretur,  
in magna tamen illa civili, & turbulenta  
dissensione, quae inter Albos, & Nigros  
duas diversas Civitatis factiones invaluit,  
quemadmodum in Dantis Vita latius de-  
scripsimus, propterea quod Albis adhaesisse  
videretur, una cum ceteris Albarum par-  
tium fautoribus urbe exactus Arretium con-  
cessit, ac dum fallaci spe Florentiam re-  
deundi in hoc loco aliquandiu commorare-  
tur, factum est, ut filium ex uxore sua  
fusco peret, quem diminute veteri quodam  
infantilis indulgentiae ritu pro Francisco  
Checcum appellavit, quum alterum nomi-  
ne

ne Gerardum iampridem habuisset. Hic est ille Gerardus, qui infinitis paene secularis vitae, ut ita dixerim, incommodis posthabitis arduum illud Carthusiensium Monasterium intrare non formidavit. Ibi Monasticam vitam iuxta asperiores quasdam eius Religionis constitutiones asperrime usque ad extremum ducens in aeterna pace quietit. Paucis deinde annis post hanc filii sui nativitatem Petracchus omnes exulum, cum quibus conspiraverat, conatus in irritum hactenus evaluisse, atque ad nihilum recidisse conspicatus in Galliam Transalpinam versus Avignonem, ubi forte ea tempestate Summus Pontifex residebat, simul cum universa familia sua perrexit. Hic sedem suam constituens ubi Franciscum primis pueritiae annis iam ad discendum aptum prospexit, in quandam parvam eius Provinciae urbem transmisit, cuius nomen Carpenteroras dicebatur, ut ibi a praceptor e nescio quo egregie erudiretur. Inde quadriennio Grammaticis eruditus posteaquam prima illa puerilia studia transegit, e vestigio ad Montem Pessulanum oppidum per ea tempora florentissimum, ut ius civile cognosceret, non sine molestia, quod suavibus Ciceronis, & Maronis libris iam mirum in modum oblectaretur, vicina iam pubertate tradu-

citur, ubi quadriennio etiam in cognoscendo iure civili consumto non iniussu patris Bononiam proficiscitur, quo in loco alterum itidem quadriennium in cognitione juris prope contrivit. Septem namque annos in studiis civilibus incassum amisit, ut ipse in epistola quadam aperte demonstrat, in qua de hac temporis iactura vehementius conqueritur, quamvis nonnullos Ciceronis, & Virgilii libros clausulum, ne pater rescire posset, hoc interim tempore legisset. Post obitum vero patris ut potestate tuæ primum sui iuris effectus cunctis iuris civilis codicibus, eiusque ineptis conmentationibus abdicatis circa primos adolescentiae suae annos humanitatis studiis omnino se dedicavit. Quocirca studiorum gratia Tolosam concessit. Inde quarto anno reversus Parisiensium urbem contendit. Quarto rursus anno Neapolim eo tempore opportune adivit, quo Robertus inclitus Siciliae Rex forte convenerat. Hinc postea abiens quarto quoque anno, sic studiorum suorum cursum per quadriennia partiebatur, eodem remeavit. In Galliam deinde Cisalpinam profectus Veronae primum, mox Parmae, ac Ferrariae, demum Patavii aliquamdiu fuit. Mediolanum per haec, ac Ticinum venit. Pisas, & Arretium dilectum primi exilii, & originis suac locum

locum visendi gratia petiit. Venetiis denique aliquantulum permanebat, ut ipse haec omnia in epistola quadam ad Guidonem Archiepiscopum Iauuae omnem studiorum suorum cunctum prosecutus apertius ostendat. In his igitur humanarum, & Divinarum rerum studiis diutius per varia, & diversa loca, quemadmodum diximus, versatus usque adeo profecit, ut inter ceteros praecipuos laborum suorum fructus primus dicendi elegantiā iam supra mille annos paene defunctam ob inhumanam quandam primo Romanorum Imperatorum crudelitatem, qui urbem Romam omnī saeculatum genere crebris proborum, & doctorum virorum trucidationibus nefarie fūtis vexaverant, ob saevissimum deinde Longobardorum dominatum, qui totam Italiam quatuor superducentos circiter annos occupatam pentitus devastaverant, praecipua quadam, ac prope divina ingenii excellentia e tenebris in lucem revocavit. Nam & prius complures Ciceronis libros per multa secula Italis antea occultos, ac proptermodum amissos sua singulari diligentia nobis restituit, atque eius Epistolas prius hinc inde varie dispersas eo ordine, quo nunc videmus, in sua volumina redegit, & suo quodam excellentiori dicendi genere se ipsum post-

ris in soluta oratione , & carmine ad imitandum praestitit , quod nulli alii usque ad tempora sua contigisse legimus , ut in utroque dicendi genere praevaleret . Etenim si duo apud Latinos , & totidem apud Graecos humanorum ingeniorum fulmina altera ab altero dicendi genere destituta videntur , quid de ceteris putandum est ? Quippe immortalia illa Demosthenis , & Ciceronis ingenia , quae quidem in soluta oratione velut in regno suo dominantur , ac triumphant , in carminibus manca , & debilia fuisse conspicimus , & veneranda in versibus Homeri , & Virgilii maiestas in prolis orationibus ita claudicat , ut qui ab eis dicta fuisse ignoraret , eorum esse perpetuo contenderet , quod in ceteris quoque artium studiis evenire perhibetur . Ut nullus in pluribus excellat , id propter ea natura comparatum esse arbitrantur , ut si ipsa parens rerum uni vel omnia , vel plura largiretur , unde postea alteri traduceret , habere non posset . Solus igitur Petrarcha hac praeccipua , & paene divina gratia praeditus in utroque dicendi genere valuit . Proinde tanto in honore apud omnes habebatur , ut non amplius Franciscus Petracchi , sed Franciscus Petrarcha amplificato nomine ubique appellaretur . Cuncti etiam paulo humaniores omnium

gen-

gentium populi cius nomen venerari videbantur. Vnde Arretini, quum ipsum e Roma revertentem, quo Iubilaei gratia perrexerat, Arretium divertere accepissent, ut dilectum nativitatis suae locum viseret, sibi adventanti ante urbis moenia populariter occurserunt tanta omnium congratulatione, ut Regi, aut magno Principi amplius, sicut ipse in epistola quadam commemorat, fieri non potuerit. Florentini quoque, qui Petracchum Pagrem ante relegaverant, paternae relegationis contumaciam revocantes filio tanto, & tam singularissimo omnia patris errata gratis condonarunt. De quo quidem tam praecepit, & tam peculiari erga se beneficio ipse Florentino Populo gratias agens epistolam quamdam laudibus, & gratiis refertissimam scribit. Incliti iasuper Principes admirabili, & paene incredibili virtutum suarum fama pertracti personam suam ita observabant, ut inter se de eo habendo certatim fere contenderent. Summus namque Pontifex ipsum ad Sanctitatem suam saepenumero per epistolas accersivit magnos sibi dignitatis gradus, si accederet, ultro pollicitus. Quod et si primam, sicut dicitur, tonsuram iampridem accepisset, ut facilius iuxta vota sua intenuit patrimonii cogente in otio vi-

ve-

veret, maiora tamen haec Summi Pontificis oblata ut pote tranquillam studiorum suorum quietem perturbatura recusare non dubitavit. Id ipsum & potentissimum Mediolanensem Ducem, & illustrissimum Patavii Principem nonaunquam fecisse constat, ut ingentia sibi munera ultro pollicerentur, si secum conversati, atque habitare vellet. At ipse cum quibusdam praeclaris Principibus aliquamdiu vixit. Penes enim Summum Pontificem tempore iuventutis suae aliquantulum commoratus est. Sed ingenti quodam Curialis, ut aiunt, vitae taedio postea affectus inde abiit, ut nunquam in posterum redire voluerit, quamvis saepe ab ipso Pontifice per epistolias, & Apostolicas oblationes multum admodum invitaretur. Et cum Galeazo Vicecomite Mediolanensem Ductore aliquot annos permanxit, & cum quibusdam denique aliis peregriniis Principibus conversatus tria, & ea quidem praecipua Legationis munera his temporibus dignissime obivit. Venetas quippe causa pacis inter Venetos, & Ianuenses reformandae, & ad Serenissimum etiam Romanorum Regem in extrema barbarie forte degentem pro Ligistica pace, ut eius verbis utar, & ad gratulandum denique Ioanni Francorum Regi Britannico tunc carcere libera-

to

to Orator mislus est, quemadmodum ipse ad Iohannem Boccacium in epistola quadam scribit, tantoque in honore memorati Principes eum habebant, ut de praelationibus, & processionibus, velut in ambulationibus fieri consuevit, vicissitudinaria inter se controversia crebro orinetur. Verum ille, quotiam erat singulari prudentia, nec minori modestia praeditus, numquam adduci potuit, ut tantis, & tam præstantibus populorum Doctoribus se in honore præferri pateretur. Quid plura de maximo eius honore dicam? Quam sexcenta sunt eiusmodi, quae ingentem eius gloriam aperte fuisse declarent. Sed ceteris omnibus brevitatis causa omissum tacitus praeterire non possum, quod ita mirabile est, ut quiddam huic nostro simile mirata Antiquitas pro miraculo literis mandaverit. Etenim dum in Gallia Cisalpina admodum adolescens degeret, non modo de Italia, sed de ulteriori etiam Gallia nobiles quosdam, & ingeniosos viros sola visendi gratia in epistola quadam ad se ipsum venisse testatur. Est, quod mirabilius est, & vix credibile, nisi ab eo ipso, vel idoneo veritatis assertore ibidem confirmaretur. Coecum namque Grammaticum per totam fere Italiam ipsum quaeritasse, ac tandem aliquando conve-

nis-

misso tradit, atque prae nimio convenienti-  
di sui desiderio ipsum sublatum manibus  
filii, & discipuli, quibus ambobus pro ve-  
hiculo utebatur, caput eius, & dexteram  
manum crebris osculationibus petuisse de-  
scribit, quasi tractu ipso eximio, & pa-  
ne insatiabili suo desiderio satisfaceret,  
quandoquidem visu satiari non posset.  
Haec omnia ipse, ut diximus, in epistola  
quadam ad Dominum Grammaticum Pla-  
centinum aperte commemorat. Quamobrem  
de ultimis Hispaniae, Galliarumque fini-  
bus usque ad Romam quosdam venisse  
nobiles sola visendi doctissimi Viri causa  
minime mirari se dicit, quod de T. Livio  
scribit Hieronymus, quum sibi superiora  
provenerint. Ad haec omnia vel maxima  
gloriae insignia nihil deesse videbatur ad  
gloriosum hominis cumulum, nisi ut Lau-  
rea corona insigniretur, qua apud veteres  
Graecos, & Latinos Imperatores, egre-  
giosque Poetas tantummodo coronatos fuisse  
constat. Id ne consummatae hominis  
gloriae deesset, magna quadam, ac sole-  
nni celebritate Romae coronari meruit.  
Hanc Poeticam Lauream per quinquaginta  
supra noningentos circiter annos a  
Claudiani temporibus, qui imperante se-  
niore Theodosio floruit, usque ad hunc  
nostrum Petrarcham perpetuo intermissam

solus ipse non immerito assumfit , ut  
 quod Florentinus , & verus Poeta iamdiu  
 antea ultimo accepisset , Florentinus , &  
 novus vates eodem modo accipiens post  
 tot annorum currícula renovaret . Quum  
 haec igitur humanitatis studia per longin-  
 qua , ac diversa Terrarum loca Pythago-  
 ram , & Platonem duos summos Philo-  
 sophos egregie imitatus diutius perscruta-  
 retur , atque propterea in maximo honore  
 apud omnes fere Orbis Terrarum gentes ,  
 quemadmodum supra diximus , haberetur ,  
 demum vitam solitariam utpote huiusmo-  
 di humanarum , & Divinarum rerum stu-  
 diis accommodatiorem adamavit . Proin-  
 de ceteris omnibus Mundi pompis , & ho-  
 noribus posthabitatis in Euganeis Collibus  
 non amplius , quam decem millia passuum  
 a Patavio urbe distantibus se in otium  
 contulit , ubi & domum parvam solitudi-  
 nis gratia instruxit , & aliquot olivetae ,  
 nonnullasque vineas parvo emptas adiun-  
 xit . In hoc tam opportuno , atque accom-  
 modato loco in studiis suis usque ad ex-  
 tremum vitae suae longius versatus mul-  
 ta memoriae mandavit , de quibus omni-  
 bus antequam mentionem faciam , for-  
 mam , & habitudinem corporis , & dome-  
 sticos mores eius parumper enarrare satius  
 esse censemus . Forma eius ita decora fuisse  
 dici .

dicitur, ut per omnem aetatis partem maiestatem quamdam prae se ferre videretur. Nam practer singularem quamdam corporis pulchritudinem hilari facie gravitate condita, & statura procera adeo ornabatur, ut praecipuam, ac censoriam personae dignitatem visentibus demonstraret. Ad naturalem quoque gravitatem acerba, & immatura in adolescentia canities accedebat, quod Neet ipse ab initio moleste ferrer, se ipsum tamen praeclarorum Virorum exemplis consolabatur, quibus adolescentibus hoc idem contigisset. Siquidem & Numae incana mента, & Virgili iuvenis barba candidior, & Domitiani adolescentis coma senescens, & Silliconis festina, & postremo intempestiva canities Severini sibi ipsi interdum consolandi gratia ante oculos proponebat. Valitudine prosperrima usque ad senectam usus est. Tanta enim corporis agilitate, ac dexteritate praevalebat, ut vix ab aliquo superari posset. In senectute autem postea rantis languoribus vexabatur, ut a gramine facto, sicut ipse quodam loco dicit, omnia morborum genera circumsilirent, atque invaderent. Itaque sexto, & sexagesimo aetatis suae anno tanta corporis imbecillitate tenebatur, ut absque operis famulorum nullatenus ambularet. Huius rei causam medici partim aquae potum

ex.

extitisse aiebant, qua quotidie vesceretur, partim vero quotidiano pomorum esui, & inediae carnium, & assiduis ieiuniis hanc eius debilitatem imputabant. Nec minor animi sui decor, quam corporis fuit. Nam in moribus semper usque ad primis pueritiae annis gravitatem servavit, & quamquam florenti aetate in odis suis, quibus natura aptissimus erat, lascivis amoribus induluisse videretur, a gravitate tamen censoria ungue latius, ut dicitur, non recedebat, quod quidem complura ab eo per omne tempus aetatis diligenter servata manifestissime probant. Si quidem ieiunium a pueritia animose coepit usque ad extremum fere vitae suae annum accuratissime simul, atque constantissime sine intermissione retinuit, idque ieiunium ita accurate custoditum inedia, sextae Feriae cum solo aquae potu quasi acriori sale condiebat. Media insuper nocte ad dicendum Christo laudes iugiter surgebat, qui mos ab eo magna cum cura servabatur, nisi forte aliqui morbi non numquam interrupissent. Quid plura? Tantum abest, ut ipse lascivis amoribus inhaereret, ut ob religiosam quamdam vitae continentiam, atque severitatem, & sanctimoniam morum non defuerint, qui ipsum perpetuam castitatem, ac virginitatem

tem continuisse traderent, quod forte m  
rari desinemus, si abstinentiam, & aspe  
ritatem victus, si aquae haustum, si cru  
das herbas, si pomorum esum, si praeter  
ea quotidianum, & perpetuum ieunium,  
quibus non offendebatur, sed vehementius  
oblectabatur, nobis ante oculos proposue  
rimus. Quod si haec vera sunt, ipsum  
aliud profecto in memoratis odis, quam  
nuda eius verba sonare videantur, poetico  
more intellexisse manifestum est. Acerri  
num, & ardentissimi ingenii, ac tam fi  
delissimae memoriae fuisse traditur, ut in  
miraculum usque procederet. Siquidem  
nonnulli ipsum super viginti millia ver  
suum, quandocumque recitare placuisset,  
reculisse scribunt. Per omnem aetatem  
suam inexhausta quadam legendi cupidi  
tate ferebatur, cuius nimirum insatiabilem,  
ut ipse quodam loco dicit, natura ipsum  
finixerat. Itaque non contentus Latinae Lin  
guae libris, qui per id tempus vulgo habeban  
tur, vetustos codices, quos & Varronem,  
& Ciceronem, aliosque doctissimos Viros  
quondam posteris scriptos reliquisse noverat,  
assidue perquirebat. Vnde inter Belgas, &  
Helvetios sic, ut ipse testatur, viginti quin  
que aetatis annos natus accuratissime qua  
ritabat, ubi praeter Epistolas, & nonnul  
las Ciceronis Orationes duos illos paeclaros  
cius

cius de gloria libros in extremo fere Germaniae angulo abstrusos post multos quae rendi labores demum inveniens e tenebris in lucem eruit, ipsosque coetaneis suis singulari eius diligentia restitutos, incuria eorum nobis ablatos satis admirari non possum: Neque hoc etiam insatiabili, & inexhausto legendi desiderio ullatenus satisfecit. Quin immo Linguam Graecam per ea tempora omnino novam, & peregrinam, atque, ut ita dixerim, ab Italia longe abhorrentem discere concupivit, ut per maximam quamdam Graecorum librorum copiam suo illo lectitandi desiderio satisfaceret, quandoquidem in quotidiana, & perpetua Latinorum voluminum pervolutione satisfacere non posset. Quocirca primus a Barlaam Monacho Litterarum Graecarum imprimis peritissimo, vel potius tantummodo doctissimo Catonem Censorium imitatus, qui in senectute Litteras Graecas discere non erubuit, Graece edoceri coepit. In his peregrinis alienarum Litterarum studiis multum admodum, ut arbitror, prae singulari ingenii, ac memoriae excellentia diligentia adhibita profecisset, quamquam ipse moderate, ut certa, se forte profecisse dicat, nisi impotuna memorati praceptoris mors sibi ipsi iam discere incipienti invidisset. Proinde qd lectionem Latinorum librorum reverfus

E.

simul.

simulatque cuncta profana Gentilium volumina legendo percurrit, postremo Sacris Codicibus operam dedit, quorum veneranda lectione incredibiliter delectabatur. Vnde & cum religiosissimis simul, atque devotissimis eius temporis viris magnam per epistolas familiaritatem contraxit, ita ut eos crebro per litteras precaretur, ut sui in divinis eorum orationibus, maxime vero in Consecratione Dominica sine intermissione meminissent. Quum itaque formam, & habitudinem corporis, & bonos mores eius, sicut promisimus, breviter attigerimus, reliquum est, ut egregia scripta sua deinceps recenseamus, si prius tamen quemdam Sorgiae fontem: nam hic, & Arquade quadam, ut diximus, Patavii villa magnam suorum operum partem adumbravit, ac confecit. Sorgiam igitur nobilissimum Narbonensis Provinciae fontem esse aiunt, cuius origo ex specu quodam saxe montis tanta clarissimarum aquarum copia emanat, ut flumen eiusdem nominis, quum in planitiem largius descenderit, ac se in lata camporum aquora effuderit, optimis piscibus abundantem efficiat. Vbi ergo se in campos latius effundit, in fundo suo laetas herbas ita suaves producit, ut boves vel bibendi, vel aquandi, vel pascendi, spatiandive gratia eo adductae, quum illam limpidarum aquarum claritatem

pro-

prospexerint , a fundo ipso mersis usque capitibus petere , ac capere conarentur . Per planitiem deinde parvo cursu contentus penes Avignonem oppidum in Rhodanum effluit . Hic itaque fons licet aquarum copia , abundantia piscium , herbarum fertilitate non ignobilis & incolentibus , & transeuntibus esse videatur , longius tamen diurno praestantissimi Poetae incolatu omnibus & doctoribus , et semidoctis innotescit . Pluribus quippe scriptorum suorum locis perpetuam quamdam huius amoenissimi fontis mentionem fecit . Magna etenim amoenitate captus complures ibi annos quietissime habitavit , atque studia sua ita peregit , ut multa memoriae mandaret . Proinde hunc locum , ubi memoratus Sorgia Rex fontium , ut ipse dicit , oriebatur , Transalpinum Heliconem suum appellare solebat . Ea igitur , quae in hoc loco scripsit , una cum reliquis scriptis suis apud nos exstant . Nam praeter odas materno sermone compositas , quas cantilenas , et Sonetia vulgato nomine dicunt , plura etiam litteris tradidit . Eclogas enim duodecim egregiis Bucolicis carminibus edidit . Epistolas multas scripsit numero circiter quadringentas mille , aliis , ut eius verbis utar , non ob aliam causam , quam quia locus non caperet , omissis , easque in duo volumina instar Tullianarum ipse diges-

sit. Horum alterum Rerum Familiarium, alterum Senilium nuncupavit. Tertium quoque ad Barbatum quemdam Sulmonensem versibus dictatum adiunxit: Invectivas in Gallum, & in Medicum composuit. Scripsit insuper de Remediis ad utramque fortunam libros duos: de Vita Solitaria ad Philippum Cavallacensem Episcopum. Item, duos de Otio Religioso: Rerum memorandarum libros quatuor: de Ignorantia sui, & aliorum ad Donatum nescio quem librum unum: de Secreto confiteitu curarum suarum, & contra Clericos libros: de Viris Illustribus unum, licet quidam nomine Lombardus post eius obitum alterum suppleverit. Cunctas praeterea Superioris Africani laudes in uno volumine per libros novem distincto hexametris carminibus mirabiliter congregavit, quem librum Africam inscripsit, licet morte praeventus ei ipsi iam immature edito ultimas, ut cupiebat, manus imponere non potuerit. Quas ob res in hac tanta scriptorum suorum confectione id praecipue curasse visus est, ne moriens minorem, vel maiorem potius nominis sui gloriam relinqueret, quam vivens reportasset. Siquidem paulo ante quam moreretur, & Africam ipsam emendabat, & nova, ut aiunt, opera cudebat. In hac itaque

que tam gloriofa , & tam felici vita usque ad sepruagesimum aetatis suae annum in magnarum , ac variarum rerum studiis . versatus Arquade obiit ; quo , ut disimus , se in otium contulerat . Hunc ultimum eius finem a reliqua anteacta vita nullatenus discrepasse aiunt . Nam quemadmodum ab ineunte aetate usque ad medium fere annorum suorum cursum probitate morum , atque excellentia doctrinae ab initio in maximis honoribus vivebat ; & mox inde usque ad extremum in continua quadam altissimarum rerum contemplatione simul , atque diurna aeternae vitae praemeditatione tamquam in iocundo quodam diversorio suavissime commorabatur ; sic denum in Dei gratia quantum per ea , quae in morte apparuisse ferunt ; conjectura augurari possumus ; gloriissime defunctus ex hoc caliginoso carcere in Coelos ad patriam remeavit . Peregregium namque discipulum suum nomine Lombardum , quem ipse unice diligebat , in cuiusve sinu moriens expiravit , haec de eo paulo post obitum suum retulisse perhibetur , ipsum scilicet moribundum in extrema ultimi spiritus sui efflatione aerem quemdam tenuissimum in candidissimae nebulae speciem exhalasse , qui instar incensi thuris usque ad laquearia tabulati altius

elatus ibidem vel paululum requievit, postremo in aerem limpidissimum paulatim resolutum evanuisse. Hoc adeo mirabile, ubi & auctoritate memorati discipuli, & aliorum qui aderant, testimoniis comprobatum, ac creditum est, pro miraculo habitum divinum Poetae spiritum ad Deum revertisse propalam indicavit. Etenim in quotidianis, & per vulgatis hominum mortibus, quos vita communis ferre consuevit, vel haec, vel his similia ullo nunquam tempore contigisse legimus. Per hunc igitur modum Poeta noster gloriosissime defunctus ibidem in arca quadam marmorea sepultus esse dicitur, quam his tribus eius humillimis versibus insignitam extare tradunt. Epigramma plenum modestiae eiusmodi est:

*Frigida Francisci lapis hic tegit ossa  
Petrarchae.*

*Suscipe Virgo Parenz animam, Sate Vir-  
gine parce,*

*Fessaque iam Terris Coeli requiescat  
in arce.*

De hac praecipua eius morte Coluccius non ignobilis nostri temporis Poeta libellum quemdam composuit.

IAN-



# IANNOTII MANETTI

## VITA IOANNIS BOCCACCII

### POETAE FLORENTINI.

**I**oannes Boccaccius egregius sui temporis Poeta ita Petrarchae in Poetica successisse visus est, ut ipse Danti paulo ante successerat. Nam sicut Petrarcha septem supra decem aetatis annos natus erat, quando Dantes ex hac vita deceperit, sic ante Boccacium per novem annos nascens eius nativitatem, praecesserat. In hac itaque vicissitudinaria horum praestantium Poetarum successione huiusmodi acerrima eorum ingenia ideo iisdem paene temporibus ex ipsa natura pullulasse arbitror, ut in quo humanum genus per mille circiter annos destitutum fuisse videbatur, in eo quasi opportune post tot saecula aliquantis per dedita ope-

ra restauraretur, ne Poetica ab hominibus omnino recessisse crederetur, si diutius in tenebris iacuisset. Iohannes igitur cognomento Boccaccius a Boccaccio patre e Certaldo quodam propinquo Florentinorum oppido oriundo viro in primis honesto, atque mercatore nascitur, quemadmodum ex pluribus scriptorum suorum logicis, & epitaphio suo, quod ipse dictaverat, evidentissime apparer. Ut autem post infantiles parentum indulgentias puer discendi per aetatem capax fuit, a genitore vetusto maiorum moe ludo litterarum deditus sub Ioanne Grammatico Zenobii cuiusdam non ignobilis eius temporis Poetae patre Florentiae erudiebatur, donec paterna congregandae pecuniae cupiditas ipsum vel paululum eruditum ex florenti paene discendi cursu mutata voluntate revocaverit, quae usque adeo vehemens fuit, ut eum vix prima litterarum elementa, quamvis acri ingenio praeditus esset, percipere permiserit. Vnde ex ludo Grammatici circa primos pueritiae suae annos ad scholas Arithmeticici iuxta Florentinam consuetudinem traducitur. Inde paucis post annis nondum adolescentiam ingressus, ut ipse testatur, cuidam maximo eorum temporum mercatori traditur, ut in mercatura erudiretur. In hac institoria arte cum mempro-

rato

rato illo mercatore per sex annos commoratus se nihil aliud egisse, quam irrecuperabile tempus incassum contrivisse confirmat, quoniam suapte natura ab huiuscemodi quaestoriis artibus abhorrebat, ac litterarum studiis aptior videbatur. Quocirca rursus e taberna institoria ad cognitionem iuris Pontificii non iniussu patris ut cetera invitus in Canonicum Gymnasium de- truditur, quod Petrarchae in iure civili itidem in eius vita contigisse diximus. Huiusmodi igitur iuri cognoscendo a patre destinatus totidem fere, quot in mercatura, annos magna cum molestia frustra consumxit. Nihil enim in illis studiis se profecisse dicit, quod has Pontificum sanctiones, atque quascumque ineptissimas commentationes mens sua indignabunda multum admodum fastidiret. Proinde ubi per aetatem sui juris effectus esse visus est, statuit quoquomodo huiusmodi studia dimittere, & ad Poeticam ceteris posthabitis se conferre, quod repugnantibus & patre, & clarissimo quodam praceptorre suo, & nonnullis eius familiaribus postea fecit. Nec mirum cuiquam videri debet, si nec reverentia patris, nec praceptoris auctoritas, nec amicorum preces ipsum continentere potuerunt, quin Pontifícia iura dimitteret, & ad Poeticam se conferret,

E 5

quo-

quoniam ad ipsa Poetica ita natus erat ,  
ut paene ab ipso Deo factus ad haec so-  
la videretur , atque a ceteris omnibus ab-  
horreret , quod ut evidentius appareat ,  
nonnullas sententias suas certa quaedam ,  
ac fidelia tantae aptitudinis testimonia in  
medium adducemus . Ipse quippe in ulti-  
mo Genealogiarum Libro de universali  
studiorum suorum cursu loquens quum se  
a patre primum arithmeticæ , mox mer-  
caturæ , deinde memorato iuri lucrandi  
gratia traditum memoraverit , postremo  
matura paene aetate ( his enim verbis  
utitur ) ceteris omissis Poeticae operam  
dedisse scribit , ad quam suapte natura ita  
natum fuisse testatur , ut nondum septimum  
aetatis annum ingressus , quo quidem tem-  
pore nec poemata per se ipsum capere ,  
nec Poetas ab aliis audire potuerat , quin  
immo vix prima litterarum elementa perce-  
perat , nonnullas ( mirabile dictu ! ) fabel-  
las composuerit , & quod mirabilius est ,  
antequam poemata intelligere posset , pro-  
pter singularem tamen quandam fingen-  
di aptitudinem Poeta vulgo ab omnibus  
vocabatur . Et paulo post : *Iam fere , in-*  
*quit , maturus aetate , ac mei iuris effectus*  
*nullo suafore , nullo prævio doctore , quin*  
*immo patre repugnante , & huiusmodi stu-*  
*dia velut frivola , & inutilia damnante Poe-*  
*tas*

tas dumtaxat aggredi non dubitavi , nec ambigo , si florenti aetate haec ipsa Poetarum Studia attigissem , quin unus inter celebres Poetas tandem evassissem . Haec propterea ab eo dicta fuisse constat , ut se suapte natura ad Poeticam natum apertius posteris demonstraret . In his igitur natus studiis ceteris aliarum artium omissis ita assidue versatus est , ut quamvis multa alia praeter ipsa Poemata sibi admodum placerent , omnibus tamen posthabitatis sola Poetica retinuerit . In Mathematicis quippe sub Andalone quodam Ianuensi viro eius temporis omnium in illis artibus peritissimo aliquot annos audivit . Sacros quoque Sanctorum Scripturarum libros libenter , avidiusque perlegit , & quamquam haec omnia peravide legeret , retentis tamen Vatum dumtaxat studiis postea dimisit . Huiusmodi ergo Vatum cognitioni per hunc modum sero nimis addictus dici non potest , quantum brevi tempore cum corpore , tum animo elaboraverit , ut per assiduam quamdam veterum Poetarum lectio- nem , ac multiplicium librorum Latinae linguae transcriptionem in certam mysteriorum suorum notitiam facilius perveniret . Quocirca quum libros non haberet , nec unde emere posset tenuitate patrimoni cogente sibi suppeteret , multa non mo-

do veterum Poetarum , sed Oratorum etiam , & Historicorum volumina , quicquid paene in Latina Lingua vetustum inveniri potuit , propriis manibus ipse transcripsit , adeo ut copiam transcriptorum suorum intuentibus mirabile quiddam videri soleat hominem pinguorem , ut eius corporis habitudo fuit , tanta librorum volumina propriis manibus exarasse , ut assiduo Librario , qui nihil aliud toto fere vitae suae tempore egisset , satis superque esset , nedium homini circa cognitionem humanarum , & Divinarum rerum propterea occupatissimo , ut cogitationes suas litteris postea mandaret , quod a Poeta nostro egregie factum fuisse constat , ceu posterius apparebit . Nec hac nostra Latinorum Librorum copia , vel inopia potius contentus Graecas Litteras discere concupivit , ut per earum cognitionem in his , quae Latinae Linguae deesse videbantur , pro virili sua opitularetur . In quo quidem Petrarcham , ut arbitror , imitatus plus alienae Linguae , quam ipse consecutus est . Etenim sicut ille Barlaam Basili Caesariensis Monachum Literarum Graecarum in primis peritissimum adire voluit , ut suo insatiabili legendi desiderio per Graecorum librorum lectio- nem penitus satisfaceret , quando Latine le- gens satiari non poterat : sic iste Leon- tiuum

tiū quemdam Pilatum Thessalonicensem peregregium primo memorati Monachi discipulum, mox Virum eruditissimum, atque in omni Graecorum facultate doctissimum triennium, dum Graece legeret, publice, ac privatim audivit. Siquidem hunc e Venetiis longe alio contendentem suis consiliis mutato eundi proposito Florentiam, ubi habitabat, pollicitationibus suis revocavit. Illum namque in propriam domum ab initio honorifice suscepit, suscepitque postea diuturnum hospitem habuit, atque ita curavit, ut publica mercede ad legendum codices Graecos publice conduceretur, quod ei primo incivitate nostra contigisse dicitur, ut Graece publice legeret. Non multo post maiori Graecarum Litterarum aviditate tractus suis sumptibus, quamquam inopia premeretur, non modo Homeri libros, sed nonnullos etiam codices Graecos in Etruriam, atque in patriam e media, ut aiunt, Graecia reportavit, quod ante eum nullus fecisse dicebatur, ut in Etruria in Graeca volumina retulisset. Huiusmodi veteres duorum tam insignium Poetarum Graecarum Litterarum primitiae quasi seminarium quoddam exstitisse videtur, quod ubiorem postea terram nactum gradatim adeo in dies pullulavit, ut temporibus

bus nostris florens uberrimos iam fructus  
pepererit. Id ut evidentius appareat, Grae-  
corum studiorum progressum opportunum  
dicendi locum in praesentiarum nocti pau-  
cis ab origine repetemus. Ante Petrarchae  
tempora, posteaquam Latina Lingua remit-  
tere paulatim pristinas vires suas coepit,  
nulla paene in Etruria Graecarum Littera-  
rum mentio a nostris hominibus per mul-  
ta saecula habebatur, sed qui tunc erant  
homines suis contenti disciplinis aliena non  
quaerebant. Petrarcha igitur primus ex  
nostris peregrinas Litteras attingere cona-  
tus sub Barlaam Monacho Graecorum  
omnium, ut diximus, eius temporis eru-  
ditissimo erudiebatur, & nisi etiam disce-  
re incipienti importuna praceptoris mors  
invidisset, non forte, ut ipse de se loquens  
modeste dicit, sed procul dubio p[ro]p[ter]e singu-  
lari quadam ingeñii, ac memoriae excel-  
lentia multum admodum profecisset. Hunc  
Boccaccius, ut arbitror, imitatus a Leon-  
tio quodam Thessalonicensi Litterarum  
Graecarum in eadem tempestate doctissimo  
triennium eruditus nonnulla percepit, multo  
plura, ut ipse testatur, percepturus, si diu-  
tius vagus praceptor veteri majorum suo-  
rum ritu in eodem docendi proposito per-  
severasset. Tantum tamen exinde hoc suo  
disciplinae tempore reportavit, ut inter-  
cete-

cetera non solum Iliadem, atque Odysseam  
praeclara Homeri Poemata intellexerit,  
verum etiam nonnullos alios Poetas ab  
exponente magistro percipiens multa suo  
egregio Genealogiarum operi opportune  
admodum inseruerit. Non multo post Boc-  
cacci obitum complures docti homines una  
emerserunt, qui universum Latinae Lin-  
guae campum florenti aetate longius per-  
vagati recenti Petrarchae, & Boccacci  
doctissimorum hominum exemplo Graeca  
ipsa adoriri non dubitarunt. Vnde vehe-  
menti eorum discendi desiderio satisface-  
re cupientes doctissimum quemdam virum  
Constantinopolitanum nomine Emanuelem  
Constantinopoli, ubi degebat, Florentiam  
usque non sine magnis variarum rerum  
pollicitationibus accersiverunt, accersitum-  
que privata, & publica mercede aliquot  
annos discendi gratia eousque retinuerunt,  
quod plures exinde doctiores emanaverint.  
Quid plura de Graecis studiis dixerim,  
quum eorum ortum, progressumque longius  
enarrasse videamus, quam ab initio putara-  
mus? Hic est ille Emanuel Chrysoloras, a  
quo multi peregregii discipuli primitus pro-  
fluxerunt, qui postea peregrinam Graeco-  
rum linguam non modo per Etruriam,  
sed per nonnullas etiam nobiliores Italiae  
partes quasi novum Litterarum semen ita  
di-

disperserunt, ut parvo post tempore paulatim crescens iam usque ad nostram aetatem mirum in modum germinasse videatur. Sed quorsum haec tam multa de Litteris Graecis dicet quispiam? Quorsum? Ut totum hoc, quicquid apud nos Graecorum est, Boecaccio nostro feratur acceptum, qui primus praceptorum, & libros Graecos a nobis per longa Terrarum, Marisque spatia distantes propriis sumptibus in Etruriam reduxit. In huiusmodi ergo humanitatis studiis usque ad extremum vitae sine intermissione versatus multa litterarum suarum monumenta reliquit, quae omnia bifariam scripta apud nos existent. Quaedam enim materao, quaedam vero Latino sermone edita habentur. Materia quoque partim carmine, partim solata oratione bipartita certuntur. Haec omnia quamquam ab adolescente scripta fuisse constat, tanto tamen lepore, tantaque verborum elegantia condita conspicimus, ut Latinarum Litterarum expertes homines modo mediocri ingenio praediti magna quadam sermonis sui lepiditate plurimum capiantur. Proinde fit, ut suo illo lepido dicendi genere imbuti plerunque elegantes apparent. Scripta Latina item bifariam sunt: alia namque versibus, alia vero prosa oratione dictavit.

Bq-

Bucolicum quippe carmen per sexdecim Eclogas egregie distinxit, ac nonnullas etiam epistolas carminibus edidit. Reliqua omnia soluta oratione composuit. Si quidem de casibus Virorum Illustrium ad Carolum Cavalcantem egregium Equestris Ordinis Virum, ac Regni Siciliae Praefectum libros novem scripsit. De Montibus, & Fluminibus, Stagnis, ac Lacubus, & Maribus nonnulla litteris mandavit. De Mulieribus claris ad Dominam Andream de Acciarolis Altaevillae Comitissam libertum unum: postremo praeclarum Genealogiarum opus in quindecim libros quam probe partitus ad Vgonem inclytum Ierusalem, & Cypri Regem dedicavit, quod inter omnia opera sua consensu omnium principatum tenet. Quum igitur originem, atque studiorum suorum progressum haecenus pertractarimus, reliquum est, ut formam, & habitudinem corporis sui, ac domesticos mores eius paucis deinceps absolvamus. Habitudo corporis eius obesa fuisse dicitur, statura procera, rotundiori facie, hilari, & iocundo aspetto, sermone ita facetus, & comis, ut singularis eius verbis, dum loqueretur, summa urbanitas appareret. In amores usque ad maturam fere aetatem vel paulo proclivior. Paupertate plurimum propterea offendit.

fendebatur, quod expeditam studiorum suorum viam inde praepediri cernebat, qua quidem sibi ad culmen, ut cupiebat, emergendum erat, illam satyricam sententiam crebro expertus

*Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat*

*Res angusta domi &c.*

Plurima itaque paupertatis adversus gloriam eius impedimenta paupertatem ipsam abigere non valens assiduis, quantum fieri potuit, diurnis, nocturnisque laboribus vel tollere, vel saltē minuere enixius curavit. Quocirca multa librorum volumina propriis manibus transcripsit, ut per hanc paene assiduam codicum transcriptionem magno legendi, quo tenebatur, desiderio aliqua ex parte satisfaceret. Plurimorum, quae ab eo transcripta fuere, testis non ignobilis Bibliotheca, quam Nicolaus Niccoli vir apprime eruditus in Basilica S. Augustini multis post obitum Boccacci annis suis, ut dicitur, impensis aedificavit, ubi postea omnes Poetae libros una cum operibus ab eo Latine editis egregie condiderunt, ut perpetuum quoddam maximae, ac paene incredibilis in transcribendis codicibus diligentiae testimonium posteris extaret. Suapte natura adeo indignabundus erat, ut quamquam tenuitate patri-

patrimonii vehementer angeretur , cum nullis tamen Terrarum Principibus commorari vel paululum toleraret , ex quo factum esse arbitror , ut nunquam rebus suis contentus pluribus scriptorum suorum locis statum suum vehementius deploraret . Ad extremum huiusmodi tam studiofa vita functus sexagesimo secundo aetatis suae anno gloriose obiit . Sepultus est Certaldi honorifice in Basilica S. Iacobi lapide quadrato hoc epigrammate , quod ipse dictaverat , insignito :

*Hac sub mole iacent cineres , atque ossa  
Iohannis .*

*Mens sedet ante Deum meritis ornata  
laborum .*

*Mortalis vitae genitor Boccacius illi :  
Patria Certaldum , studium fuit al-  
ma Poëss .*

Quae quidem carmina quuma Colucio Salutato Viro eruditissimo præ singulari quædam Poetae excellentia nimis humilia videbentur , duodecim sua prioribus illis in hunc modum adiecit :

*Inclyte cur Vates humili sermone locutus  
De te pertransis ? Tu pascua carmine claro  
In sublime vebis , Tu Montum nomina , Tu que  
Sylvas , & fontes , fluvios , ac stagna ,  
lacusque*

*Cam Maribus malo digesta labore relinquis ,  
Illu-*

*Illustresque Viros infastis casibus actos  
In nostrum aevum a primo colligis Adam.  
Tu celebras claras alto dictamine matres,  
Tu Divos omnes ignota ab origine ducens  
Per ter quina refers divina volumina nulli  
Cessurus Veterum: Te vulgo mille labores  
Percelebrem faciunt, aetas Te nulla filebit.*

Vita igitur , & moribus trium praestantissimorum Poetarum , ut potuimus , haec tenus descriptis , reliquum est , ut pro brevi quadam dictorum omnium conclusione eos invicem comparemus . Volentes itaque vicissitudinarias horum Poetarum excellentias simul conferre , id praemittere ante omnia necessarium duximus , quod ab omnibus conceditur , duplēcē esse vitam , in qua humanum genus versaretur , alteram activam , alteram vero contemplativā . Hoc ergo tamquam principio quodam vero in hac nostra comparatione praesupposito , non temere Dantem in utriusque vitae genere prope omnibus ceteris duobus praeferri oportere censemus . Ipse namque primum pro patria arma ferre , atque fortiter pugnare non dubitavit . In gubernatione deinde Reipublicae aliquatdiu versatus optime se geslit . Haec sane ad vitam activam pertinent , quae de Petrarcha , & Boceaccio minime dici possunt . Ipsi enim omissa penitus Republica privatim in otio , ac litteris totam fe-

fere aetatem suam contriverunt, quae vita communi omnium consensu contemplativa appellari consuevit. Petrarcha igitur, & Boccaccius huic soli ceteris posthabitis dediti eum profecto superare debuerunt, quo quidem & diuturniorem, & longe quietiorem, ac pacatiorem vitam tenuerunt. At id longe secus est. Quamquam enim Dantes neque senuerit, neque etiam id, quod datum est, vitae tranquillum habuerit, quin immo partim assiduis Reipublicae occupationibus a studiis distractus, partim vero variis exilii curis agitatus plerumque consumserit, ob divinam tameo ingenii sui excellentiam magnam humanarum, & Divinarum rerum cognitionem brevi tempore comparavit; quippe & in mathematicis, quae scientia tum numeros, tum dimensiones, tum consonantias, tum astrorum motus, & conversiones una complectitur, & in utraque Philosophia, quae ad mores, & ad naturalia pertinet, & in Sacris denique Scripturis, quae omnem Divinitatem penitus comprehendunt, usque adeo profecit, ut illis in memoratarum rerum cognitione non immerito praeponatur. Dantes ergo in his omnibus, ut diximus, Petrarcham, & Boccacium nimirum excellit, atque ab ipso cum integra Latinarum Litterarum

rum scientia , tum etiam certa veterum historiarum perceptione superatur. Nam Petrarcha maiorem , & clariorem utramque rerum notitiam habuit. In carmine quoque , & soluta oratione Dantes ab eo itidem vincitur. Si quidem eius carmina rotundiora , ac sublimiora sunt , atque eius oratio longe elegantior appetet . In materno sermone pares paene habentur. Etenim si Dantes in Odis Petrarcha ipso superior est , in rhythmis ab eo superatur. Vnde pares in materno dicendi genere non immerito habentur . Ceterum Boccaccio ita paene in omnibus praefat , ut in paucis admodum , ac levibus quibusdam , in Graecarum scilicet Litterarum cognitione , qua Dantes omnino caruit , & in materna , ac soluta oratione , qua pauca scripsit , sibi cedere videatur , in quibus duabus dumtaxat etiam Petrarcham excelluit , quum ab eo tamquam a praeceptore suo in ceteris omnibus vinceretur.

*Iannotii Manetti vita Iobannis Boccacii Poetac Florentini feliciter explicit.*

F· I · N · I · S ·





Österreichische Nationalbibliothek



+Z155691604

